

in prima persona, ac praesertim quia respiciat ad sensum precipuum, qui est de Christo, *g. d.* Hæc dicit Dominus, puta Filius Dei: post gloriam Judæorum, scilicet post Ecclesiam quam ex Judæis collegi, misit me Pater ad gentes, ut illi eas subiciam et aggregem: vos enim, o fideles mei primitivi et quasi primogeniti, iam amo, tutor et custodio, ut gentes olim hostiles vobis sim subituras; aut si rebelles maneant, perdituras. Qui enim vos tangit, tangit pupillam oculi mei; nihil enim delicatius, carius, pretiosius pupilla, ac proinde nihil majori cura custoditur: lesa enim pupilla, leditur et excæcatur oculus, qui est lumen vite ac dux omnis vite et actionis hominis; ut homo excæcatus miserimam in tenebris agit vitam, sicutque instar mortui. Unde pupilla hebraice vocatur *בַּיִת* *bath*, id est *filia*, eo quod pretiosa, cara, curæ et cordi sit, ac custodiatur quasi filia unica; quodque oculi sit quasi filia. Quocirca in pupilla est effigies humana, puta filia, vel filii. Hinc Hebræi eandem alia voce vocant *בְּתוּלָה* *betoula*, id est *virginitatem*; quia is in pupilla apparet. Alludit ad *Deut.* xxxii, 10: « Custodivit quasi pupillam oculi sui. » Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Lyranus et alii. Aliter S. Cyrillus et Vatablus, *g. d.* Qui tangit vos, tangit pupillam oculi sui, id est seipsum gravissime ledit: quia sibi accessit accerrimum Dei vindictæ vestri iram et vindictam.

Vers. 9. **QUA ECCE EGRO LEVO MANUM MEAM SUPER EOS, —** puta super gentes finitimas et hostiles, ut eas faciam, vobisque præda dem et subiciam. Ita subiecit eis Ammonitas, Moabitas, Philisteos, Samaritanos, Idumæos tum alias, tum per Judam et Machabeos. Hoc enim mox visuri erant Judæi audientes hæc oracula Zachariæ, indeque ex reali eorum eventu cognituri ipsum esse verum prophetam, et hæc accepisse a Deo, ut ipso asseverat. Ita Albertus, Hugo, Lyranus et Arias.

Mystice, hæc veriora sunt in Christo, qui Apostolis a Judea ortis subiecit omnes gentes. Ubi nota conversionem gentium vocari *prædicationem* et *spoliatum*, quia eas Apostoli prædant sunt diabolo, carni et mundo, quibus sponte se subiecerant et volentes serviebant, ac subiecerunt Christo. Hinc Isaias cap. viii, 3, prædicit nomen Christi fore: « Accelera spolia detrahere, festina prædari. » Et cap. ix, 3, de Apostolis orbem conversuris ait: « Letabuntur coram te sicut qui letantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia. »

Nota *levo manum*, scilicet quasi signifer, imo dux et imperator, prisoo more, elevata manu signum prælii attollo, et exercitum in hostes ducio. Sic dicitur *Psalm.* lxxiii, 3: « Leva manus tuas in superbia eorum in finem. » *g. d.* Tolle signum tuum, immitte exercitum in hostes tuos, illos bello perseguere, donec omnes ad unum conficias et concidas. Nam, ut sequitur: « Gloriatii sunt qui oderunt te; posterunt signa sua,

signa, » etc.; et *Isaiæ* cap. vii, 41: « Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum. » Et *Psalm.* cv, 26: « Elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto. » Rursum *Isaiæ* cap. xlix, 22: « Levabo ad gentes manum meam, et ad populos exalabo signum meum. » Porro signum et vexillum Christi est crux. Quare cum tolli cruce, et eruantur in ea Christum aspexeris, animos præliandi acue, certamque victoriæ spem per Christum concipe.

10. LAUDA. — Excitat Synagogam Babylone reudentem in Jerusalem, ad gratiarum actionem et jubilum, quod sensura sit Dei in se habitantis presentiam, opem et gloriam; adeo ut gentes ipsam visura et confessura sint, ideoque suas oblationes et dona oblatione Deo in eius templo; quin et non pauci converlendi sint ad judaismum et futuri procellyti, juxta illud *Psalm.* lxxvii, 30: « A templo tuo in Jerusalem tibi offerent reges munera: » Ita Seleucus rex Asiæ aliique principes ingentia dona ei miserunt, ut patet *II Machab.* iii, 2 et 3. Ita Remigius, Haymo et Dionysius.

Mystice, multo magis excitat Judæos, omnesque primos fideles tempore Christi, ut jubilent Deoque gratias agant, eo quod videant Messiam, id est Deum corporatum, visibiliter in medio sui versantem, ibique fundantem Ecclesiam, ad quam mox per Apostolos aggregabit omnes gentes. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Lyranus, Vatablus, Arias et alii.

11. ET POSSIDEBIT DOMINUS JUDAM PARTEM SUAM IN TERRA SANCTIFICATA. — Ad litteram, *g. d.* Cum Deus tribum Juda (sub qua accipere quoque tribum Benjamin, utpote quæ cum Juda in unam rempublicam et Ecclesiam coaduerat) reducet e Babylone, tunc eam quasi partem, id est portionem suam hereditariam, collocabit rursum in terra sancta, puta in Judæa, quæ sancta est, tum ob templum sanctumque Dei in eo cultum; tum quia in ea vixerunt SS. Patriarchæ et Prophete, ut ibi rursum sit ejus peculium et possessio, uti fuit tempore Moysi, dicens *Deut.* xxxii, 9: « Pars autem Domini populus ejus: Jacob funiculus hereditatis ejus. »

Mystice, Christum partem suam, id est Apostolos aliosque primos fideles, ex quibus conflavit Ecclesiam suam, selegit et possedit in terra sancta, puta Judæa; illam enim ipso magis quam omnes Patriarchæ et Prophete sua navitate et conversatione sanctificavit et consecravit. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et alii jam citati.

13. SILEAT. — Est epithonema. Propheta enim admirans hanc Deum in populum suum beneficentiam, tum litteralem sub Nehemia et doxologiam Dei; ac proclamat ut omnes eam cum tremore, reverentia, humilitate et gratitudine agnoscant; suspiciant, reverentur, colant et celebrant: « Quia, ait, consurrexit de habitaculo sancto

suo; » Septuaginta, *quia surrexit de nubibus sanctis suis*. Poetice loquitur, *g. d.* Deus « consurrexit, » hebraice *נָסַח* *nosar*, id est *excitatus est* quasi a somno, *g. d.* Deus visus est dormire, cum nos neglexit et dimisit in captivitate per septuaginta annos, rursum cum dimisit mundum in potestate diaboli per quatuor annorum millia: at jam videns immanes ejus strages, velut somnum excutiens, assumit suum robur et fortitudinem, ac exsurgit ad ultionem, ut populum suum liberet, et cum eo habitat. Ac praesertim allegorice somnum excutit et consurgit, quando Christus e nubibus, imo e caelo vindex robustus descendet in Judam, cum in ea incarnabitur, ut cum Judæis quibus promissus est habitat, eosque a tyrannide diaboli, peccati et mortis vindicet et salvet. Ita S. Cyrillus, Theodoretus et alii. Hinc olim cum sacerdos procebat ad altare sacrificaturus, præbat diaconus proclamans: « Sileat omnis humana et mortalis caro, stetque cum metu ac tremore, » uti habetur in liturgia S. Jacobi, sub initium. Vide dicta *Hobæus* ii, 20.

Tropologie, Arias: Sileat, ait, omnis caro quæ sors est et scaturigo omnium malorum cogitationum et cupiditatum, ejusque parentis stimulus quiescat, et compassatur a vi et efficacia gratiæ Christi, quæ universum vitiorum fontem exhaustit.

Anagoge. Anagoge, sileat omnis caro a facie Christi venientis ad iudicium, quia consurrexit de caelo, descenditque in vallem Josaphat, ut ibi iudicet

vivos et mortuos, qui unquam exsisterunt, existant vel exstabant in mundo. Ita S. Hieronymus, Haymo, Lyranus et Vatablus. Tanta enim erit tunc Christi majestas, tanta ejus ira in impiis, ut ipsi vultum ejus ferre non sustineant, sed clamant montibus et petris: « Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni. » *Apoc.* vi, 17. Tunc verum erit illud paradoxum: « Veniet tempus, quo damnati nolent egredi e inferno, et beati volent egredi e caelo; » nimirum hoc tempus est dies iudicii. In illo enim damnati optabunt manere in inferno, ne cogantur venire ad iudicium; partium ne subeant probrum publicum damnationis eorum toto mundo in valle Josaphat; partim ne videant vultum iratum et fulgurem Christi iudicis; partim ne cogantur assumere corpora, in hisque torquent, cum jam sola eorum anima torquetur. Beati vero in die iudicii optabunt egredi caelo, tum ut sententiam felicissimam audiant: « Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum a constitutione mundi; » tum ut eorum innocentia, virtus et gloria toti mundo, cui olim despecta fuit, innotescat; tum ut corpus suum assument, in eoque glorificentur, ac cum eo triumphantem Christum gloriosum in eorum conspectum comitantur, ejusque vultu fruuntur in æternum. Gloria enim corporis erit quasi altera stola et corona beatitudinis, quam proinde animo beate ardent appetunt, ut patet *Apoc.* vi, 10 et 11.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Angelus Jesum filium Josedech jubet exui vestibus sordidibus captivitatis, æque ac peccati, induique novis, et cidari, ut significet se ei peccata remittere, et pontificatum reddere, ut templum cultumque Dei restitueret. Insuper vers. 8, eidem promittit Orientem, id est Christum qui in templo ab eo instaurantur sit versaturus, ibique collecturus Ecclesiam, cujus ipse futurus sit pontifex: ipsum enim fore ecclesiam lapidem angularem septem guttis insignitum, ac clarorum vulnerumque sculpturis cælatum, qui auferet iniquitatem terre, et pacem toti orbis felicitatemque conciliabit (1).

1. Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini: et satan stabat a dextris ejus ut adversaretur ei. 2. Et dixit Dominus ad satan: Incepit Dominus in te, satan; et incepit Dominus in te, qui elegit Jerusalem, numquid non iste torris est erutus de igne? 3. Et Jesus erat indutus vestibus sordidibus: et stabat ante faciem angeli. 4. Qui respondit, et ait ad eos qui stabant coram se, dicens: Auferete vestimenta sordida ab

(1) Sequitur in hoc capite emblemata ad Jesum pontificem ac Zorobabelem ducem cum transitu ad Christum.

In emblemate primo, primo, representatur Jesus coram angelo stans, primo, frustra accusatus a satana, 1, 2; secundo, sordidatum vestimento, sed angeli jussu vestitum novis et ornatum cidari, 4, 5.

Secundo, transit ad Christum, primo, admonitione data Jesu ad fidelitatem in officio cum promissis adjectis, 6, 7; secundo, indicatione de Jesu sacerdote in figuram assumpto, 8; tertio, prænatione adventu Christi quem Orientem vocat, 8; Ecclesiae per Christum fundandæ et salutis, 9; quarto, tranquillitatis et pacis securitatis, 10.

eo. Et dixit ad eum : Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoris. 5. Et dixit : Ponite cidarim mundam super caput ejus. Et posuerunt cidarim mundam super caput ejus, et induerunt eum vestibus, et angelus Domini stabat. 6. Et contestabatur angelus Domini Jesum, dicens : 7. Hæc dicit Dominus exercituum : Si in viis meis ambulaveris, et custodiam meam custodieris : tu quoque judicabis domum meam, et custodies atria mea, et dabo tibi ambulantes de his qui nunc hic assistunt. 8. Audi Jesu sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentis sunt : ecce enim ego adducam servum meum Orientem. 9. Quia ecce lapis, quem dedi coram Jesu : super lapidem unum septem oculi sunt : ecce ego cœlo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum : et auferam iniquitatem super illius in die una. 10. In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum terribre vitæ, et subter ficum.

Vers. 1. 1. ET OSTENDIT MIHI DOMINUS. — Vox Dominus non est in Hebræo, nec Chaldeo, sed subintelligitur. Unde eam exprimit Septuaginta et Noster. Porro Dominus per angelum more suo hæc revelavit, et pinxit in phantasia Zachariæ : an eadem nocte qua præcedentia cap. I et II, revelavit, idipsum fecerit, ut voluit Rupertus, et Hugo, an alia, incertum est. Propheta enim sæpe non distinguit tempora, nec ea certa suis prophetiis consignat, cum constet plerasque per intervalla variis diebus, mensibus, quin et annis, ipsis revelatas fuisse a Deo, vel immediate, ut cum Deus loquebatur in mente eorum; vel per angelum, ut cum per eum in phantasia Propheta sua symbola, puta visa, vel verba formabat et pingebat. Jesum. — filium Josedech, qui eo tempore vivebat, jamque Babylone redierat in Jerusalem, ibique erat summus Pontifex. Unde vers. 8, eodem promittens Christum dicit : « Audi, Jesu sacerdos magne, » etc. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus, Remigius, Albertus, Hugo, Lyranus hic, ac S. Augustinus lib. XII *Contra Faustum* cap. XXXVI, et Eusebius lib. IV *Demonstr.* cap. ullimo. Negat idipsum Arias, secutus Abenezram et R. Salomonem, quia, inquit, Jesus filius Josedech jam erat mortuus, eo quod *Aggæi* II, 12 et 22, ejus non fiat mentio, uti facta est vers. 3. Jesus ergo sumitur hic pro posteris, puta pro Machabæis, quorum bella contra Antiochum prædicit hic Zachariæ : ita ipsi. Verum errant, nam vixisse tunc Jesum hunc, patet ex cap. VI *Zachariæ* vers. 11, ubi dicitur : « Sumes aurum et facies coronas, et pones in capite Jesu filii Josedech, » etc. Et *Eccli.* XLIX, 13, ubi dicitur quod Jesus hic cum Zorobabel ædificavit et exilarint templum; templi autem fabrica absoluta et dedicata est anno 6 Darii, ut patet I *Esthræ* VI, 13; imo Josephus lib. XI, cap. V, tradit Jesum hunc vixisse usque ad initium regni Xerxis, qui patri Darii successit : tunc enim in pontificatu successisse ei filium Joachim.

Allegorice, Jesus filius Josedech, Pontifex legis veteris, representavit Jesum Christum Pontificem est Jesus Novi Testamenti, tam nomine quam dignitate et officio. Ita auctores jam citati; insuper Tertullia-

nus *Contra Judæos*, sub finem, Origenes hom. 9 in *Levit.*, Lactantius lib. IV, cap. XIV, S. Ambrosius lib. III *De Fide*, cap. IV, S. Chrysostomus homil. 5 ex variis in *S. Matth.*, S. Gregorius lib. XX *Moral.* cap. XX, qui videtur asserere hic sensu literali agi de Jesu Christo, ideoque non addi « filius Josedech, » quod alibi Jesu veteri additur. Verum hi Patres excusandi sunt, quod more suo non distinguant sensum litteralem ab allegorico, ac tantum dicere velint præcipuum sensum ex mente et intentione Spiritus Sancti esse de Jesu Christo, ideoque ad hoc innuendum taceri « filius Josedech. » Jam constat apud omnes, quod licet literalis sensus de Jesu filio Josedech sit primus, tamen allegorici de Jesu Christo sit illo potior, ideoque præcipuus. Porro Hieronymus Savonarola explicans hæc Zachariæ verba anno Domini 1495, sedente Alexandro VI Pontifice qui infensus erat, per Jesum accipit Pontificem angelicum, quem brevi Romam visuram vaticinabatur, qui vita et moribus angelus potius videretur quam homo, ac totam Ecclesiam reformaret, novosque ritus, imo novum Evangelium induceret. Verum jam plusquam centum elapsi sunt anni ab hæc ejus propheta, et nequid angelus ille comparuit. Vide Ambrosium Catharinum *Contra prophetias Savonarolæ*, et Canon. XXXIII in *Proemio*.

STANTE CORAM ANGELO DOMINI. — Hic angelus fuit S. Michael, utpote tutor Synagoge, qui pro ejus capite, puta Jesu pontifice, contra Satanam decertat. Unde coram eo Jesus pontifex quasi reus consistit, accusante eum Satana. Est enim hic species tribunalis et judicii, in quo judex est Deus, accusator Satanas, reus Jesus, advocatus Michael, sed Deus suas partes delegat Michaeli, ut ipse ejus loco sit judex. Unde coram Michaeli quasi iudice reus hic consistit Jesus. Sicut enim Deus, sic et angelus ejus, utpote æquissimi, possunt esse simili advocati et iudices. Ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo et Lyranus : « Debit, ait, prelati totius populi angelus, ejusdem populi prelo homini (puta pontifici Jesu) preesto adesse. »

ET SATAN STABAT. — Satan hebraice idem est quod *adversarius*; hinc tribuitur demoni, qui

summe et ubique fidelibus adversatur, juxta illud *S. Petri epist.* I, cap. V, 8 : « Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit querens quem devoret. » Hinc Septuaginta pro *Satan* vertunt *δαιμόνιον*, id est *calumniator*. Porro *Satan* hic antonomastice intelligitur demonum princeps, puta Lucifer : contra hunc enim uti primitus in cœlo pugnavit, ita perpetui in terra pro Ecclesia depugnat S. Michael, uti docet S. Joannes, *Apocal.* XII, 7 : « Et factum est, inquit, prælium magnum in cœlo : Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnavit et angeli ejus; » et cap. XX, 2 : « Apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus, et Satanas, et ligavit eum per annos mille. » Contra hunc quasi principem demonum, tentantem se decertavit Christus, *Matth.* IV, 1 et 10. Hic quoque contra Michaelem altercatus est de corpore Moysi, ut ait S. Judas in *epist.* vers. 9.

Hinc colligas summum Pontificem, qualis fuit Jesus filius Josedech, custodem et tutorem habere S. Michaelem : ille enim uti tutor est corporis S. Ecclesie, ita est et capitis, puta Pontificis; sicut ex adverso Lucifer hostis Ecclesie, hostis est et Pontificis; eum enim maxime impugnat, ut eo prostrato prosternat Ecclesiam; idque aliquando per se, aliquando per demones sibi subditos. Quocirca vigiles fortesque excent pontifices, jugiter cogitent sibi acre et perenne esse bellum cum principe tenebrarum, qui ardet ira, pollet potentia, tumet superbia, valet est astutia, peritus experientia. Sciant suum antagonistam esse Luciferum, meminerint se cum pontificatum ineunt, ad duellum et singulare certamen provocare Satanam, omnesque ejus inferorum cohortes et legiones, de quibus ait Apostolus *Ephes.* VI, 13 : « Non est nobis collectatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. » Sed ne percellantur, nec animis cadant, sciant ex adverso hyperaspistem et defensorem suum esse S. Michaelem. Meminerint sibi in B. Petro a Christo promissum esse : « Tu es Petrus, et super hæc petram ædificabo Ecclesiam meam, et porte inferi (puta omne inferorum robur et potentia) non prævalent adversus eam. » *Matth.* XVI. Meminerint totam Ecclesiam, ac presertim singulos sacerdotes, pro se nominatim in Missæ sacrificio quotidie Deo supplicare. Plures ergo et potentiores sunt eorum protectores, quam sint hostes et impugatores, uti eos videns dixit *Elisæus IV Reg.* VI, 16. Perperam ergo Arias per *Satanam* accipit Antiochum Epiphaniem, qui Jesum, id est Machabæos posteros Jesu, oppugnavit. Agitur enim hic de ipso Jesu, non de posteris, uti paulo ante dixi.

A DEXTRIS EJUS. — Satan, accusans Jesum filium Josedech in tribunali Dei, stabat a dextris Jesu, quasi victor; et in lite potior ac superior; quia

videbatur in judicio prævaliturus, ac Jesum ad sententiam damnationis adaclurus, quia vera erat accusatio quam ei intentabat, inquit S. Hieronymus. Simili schemate et phrasi ait Psaltes, *Psal.* CVM, 6 : « Constitue legislatorem super eum, » nimirum fac ut diabolus stet a dextris ejus, quasi ei prævalens, leges et jura dictans. Unde S. Augustinus ibidem tropologicè sic explicat : « Hoc, ait, meruit (Judas proditor Christi) ut super se diabolus habeat, id est diabolus subditus sit, qui Christo subditus esse noluit. Stet autem a dextris ejus, dictum est; quia opera diaboli preposuit operibus Dei. Hoc enim cuique non immerito dextrum dicitur, quod præponit, sicut sinistra dextera præponitur. Ideo et de illis qui sæculi hujus gaudia præponentes Deo, beatum dixerunt populum cui hæc sunt, rectissime dictum est : Dextera eorum dextere iniquitatis. Diabolus ergo stetit a dextris ejus, quando preposuit avaritiam sapientiæ, et pecuniam saluti suæ, ut eum traheret et quo debuit possideri, ne ab ipso possideretur, cuius opera ipse Christus solvit, a quo noluit possideri. » Unde sequitur : « Cum judicatur exeat condemnatus. » Ex adverso iusti et sancti dicunt *Psal.* XV, 8 : « Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovere. » Et *Psal.* CVM, 31 : « Astitit a dextris pauperis (ut divitiæ pauperis sint ipse Dominus, ait ibidem Augustinus) ut salvam faceret a persecutibus animam meam. » *Secundo*, Albertus, Hugo et Sanchez : Satan, inquit, est a dextris pontificis, quia Judæorum felicitati cum invideret, angelorum et piorum ex eo populo consiliis adversabatur; nam Satan per malos regis consiliarios in Babylone, et per Samaritanos in Judæa Hebræorum consilia turbabat, neque quicquam sinebat expeditæ, aut cum magno stulti operaque pretio administrari. Ut enim amicus est a dextris, ut juvet et protegat quomodo dicitur, *Psal.* XV : « A dextris est mihi ne commovere : » sic inimicus est a dextris, ut quod in nobis firmius est et magis ad laborem idoneum, turbet et infirmet; quod utique per Samaritanos agebat Satan, dum et opifices et Judæos fabricæ prasides variis artibus remorari et impedire satagebat. Sic et *Pinea De Rebus Salomonis*, lib. VII, cap. XX : Dextera, ait, symbolum est egregii alienigenæ conatus et operis; hinc qui se alieni a dextris opponit ut adversetur, procul dubio opus impedit malitiose et hostiliter, uti fecit hic Satan.

Mystice, notat Hugo diabolum esse a sinistris illis quos persequitur in temporalibus; a dextris, quos in spiritualibus; ante faciem, qui versutias ejus cavent; a tergo, qui non prævident; supra, quos conculeat; infra et sub pedibus, qui eum conculeant, hæcque confirmat ex Scriptura Euthymius in *Psal.* CVM, 6 : Diabolus, ait, stat a dextris, ut operationes dextras, id est bonas, rapiat. Ibidem Valentia : Satan, inquit, a dextra

Mystice, diabolus est a dextris impiorum. Cur?

incipit motus animalis, ita illi a diabolo aguntur, nihil operantes nisi secundum avaritiam, odium, infidelitatem. Diabolus ergo stat a dextris, tanquam princeps peccatorum. Sic et Elias Cretensis in orat. 1 Nazianzen; Satan, ait, semper res nostras dextras, id est quas cum laude sunt conjunctas, oppugnat, non vero sinistras. Quocirca S. Ambrosius, lib. III De Interpell. cap. xi: Adam, ait, dextram suam diabolo dedit, quam extendi fecit ad interdicta poma. Ita prejudicatum est in illo omnibus, et cepit universis diabolus a dextris stare: omnes quippe nascimur damnati ac filii irae. Sicut enim Psalm. LXXIX, 18, David virum dextere vocat, quem Deus peculiari ope sua fortem facit; ita diabolus a dextris habet, qui ei consentiendo se subijcit, eumque contra se fortem ac potentem reddit. Diaboli typus fuit Naas rex Ammon, dicens Israelitis, I Reg. XI, 2: « In hoc feriam vobiscum foedus, ut etiam omnium vestrum oculos dextros, » tum in opprobrium, tum ut eos bello inutilis, utpote caecos, reddam; sinistram enim oculum suto tegunt milites. Quod mystice explicans S. Gregorius, lib. V in libro Regum, sub initium; « Dexter, inquit, oculus noster est intuitus claritatis aeternae; sinister vero oculus est concupiscentiae carnalis. Dexter ergo oculus erigitur, quando mens ea caecitate percenitur, ut ultra ad videnda caelestia non aperiat. Naas (Naas hebraice idem est quod serpens, qualis est diabolus) ergo dextros oculos federatorem sibi eruit, quando quia sic devotus absentibus praevalet, ut carnalia sola cupiant, et ultra qua amare solebant non attendant, » puta spiritualia et aeterna.

Allegorice S. Hieronymus: « Stans cernitur Jesus et stabili consistens gradu, et stabat a dextris ut adversaretur ei. Tentatus enim est per omnem modum absque peccato. Et in Evangelio ad eum tentator accedit quaerens semper dextris ejus et virtutibus contraire. » Et S. Gregorius, XX Moral. cap. xviii: « Pro dextro, ait, habere dicitur, quod pro magno pensamus, pro sinistro vero id quod despiciamus. Venienti ergo Christo in carnem Satan a dextris stetit: pro magno namque Dominus Iudaicum populum, et pro nihilo gentes habere videbatur; sed postquam incarnatus apparuit, gentilitas qua pro sinistro habita fuerat, creditur Iudaicus vero populus ad perditionem declinavit. Satan ergo a dextris stetit, quia illum ei populum rapuit, qui dudum dilectus fuit. » Et inferius: « Cum S. Ecclesiam laesunt qui fideles videbantur, ei procul dubio calamitates ad dextram surgunt; » sed quia reliquae in fine mundi salvae fient, hinc Dominus removet Satanam a dextris dicens: « Increpet Dominus, » etc.

An quis- que ha- beat an- gelum malum. Denique ex hoc loco et similibus Cassianus, Collat. VIII, cap. xvii, colligit unicuique nostrum coherere angelum non tantum bonum, sed et malum, siye unicuique a Lucifero destinari de-

monem tentantem, sicut a Deo cuique destinatur angelus custos ad tutelam. Quos fuit sententia Origenis et nonnullorum veterum. Nec est improbabili: tum quia Lucifer est simia Dei: tum quia ardet odio Dei et invidia hominum, novitque hunc esse optimum nocendi hominibus modum et ordinem, si cuique demon, qui iugiter eum observet, et dum occasio est tentae, assignetur, ne inter demones sit ataxia et confusio; neve quod unus cepit alter destruat. Porro cuique suum assignat Lucifer, non Deus.

Ut ADVERSARETUR EI. — Hebraice לְשֵׂטֶן לְיִשְׂרָאֵל, a radice שָׂטַן satan, id est adversatus est, unde Satan vocatur adversarius. Explicat ergo tymon Satanam, q. d. Satan, id est adversarius, stabat, ut iuxta nomen et officium a se usurpatum adversaretur Jesu, ut scilicet quasi actor accusaret eum in tribunal Dei, ad hoc ut eo damnatum iudicaretur indignus tam pontifice, quam restauratione templi et cultus divini: hanc enim impudite satagebat Satanus.

Quaeres: Quodnam fuit crimen Jesu, cuius eum accusavit Satan? Primo, Theodoretus et Sanchez censent peccata haec non fuisse Jesu, sed populi; quae multa erant, etaeque imputari Jesu tanquam pontifici, quodammodo enim totus populus est in sacerdote, et in sacerdote peccat; aut sacerdos potius in omnibus peccat, ut docet S. Cyrillus. Verum aliquod peccatum Jesu proprium hic intervenisse innuit angelus, dicens vers. 4: « Auferite vestimenta sordida ab eo; » et: « Ecce abstuli iniquitatem tuam. »

Dico ergo hoc peccatum fuisse, quod populum jam pene in Babylone legis cultusque Dei oblitum, in ea non satis instrueret, nec ad eam observandam modis omnibus urgeret, ac praesertim quod illum torpentem in fabrica templi ad illam non cogeret, ut patet Agg. I, 4 et 2. Rursus, quod eum non averteret a matrimoniis cum alienigenis uxoris contrahendis. Hoc enim crimen in populo redarguit et emendavit Esdras, lib. I, cap. ix, 2. Ita Chaldaeus, Lyranus, Emmanuel, Mariana et Vatablus. Porro haec in re negligentem fuisse Jesum patet ex eo, quod ejus filii et fratres duxerint alienigenas, ut patet I Esdr. x, 18, quos sane ipse quasi pater castigare et impedire debebat. Unde Chaldaeus vertit: *Erant autem ipsi Jesu filii, qui dupebant uxores quae non erant dignae sacerdotio* (1).

Addit S. Hieronymus ex Hebreis, quem sequuntur Remigius, Haymo et Hugo: *Quod et ipse cum*

(1) Eadem erat pena Jesu sacerdotis iuxta Maurer, quae totius erat populi, qui adhuc concubabat malis culpe penis. Jesu vero cur explatur primus omnium? Quia pontificis maximi est, explere populum ex parte alio vero non potest nisi qui deus exiatus ipse. Hinc etiam die festo *expurgationis*, primus omnium expliatur pontifex maximus quoque domus, Lev. xvi, 8, 11, deinde ab explato pontifice sacrorum et ara, *ibid.* vers. 16, 19, ac tum denum universus populus, *ibid.* v. s. 20 et seqq.

Peccatum Jesu quod? Responsio prima.

Secunda gemina.

caeteris alienigenam accepisset uxorem; quod et in *Esdra* et *Malachia* plenissime scriptum est. Verum in *Esdra* scriptum est tantum filios Jesu duxisse alienigenas, non ipsum Jesum; quod si ipse Jesus pontifex alienigenam duxisset, utique id ipsum non tacuisset Esdras, cum ipse ex professo vitia Synagogae recenset et castiget, ac nominatim cap. x, numeret eos qui alienigenas in uxores acceperant. Minus credibile est quod scribit S. Justinus, dialog. *Contra Tryphon*, Jesum accusatum a Satana, quod duxisset uxorem meretricem. Quis enim hoc credat de tanto viro et pontifice?

Porro ut *adversaretur*, innuit Jesum aliquod egisse vel tentasse, in quo ipsi adversatus sit Satan. Hoc autem videtur fuisse, quod ipse quasi pontifex Deum oraret pro restoratione templi, religionis legisque Dei. Ita Arias et Vatablus; utque Judaei in Babylone reliqui ad patriam sedem, et avitam religionem in Jerusalem redirent, inquit Beda in *epist. Juda*.

Moraliter, disce hic quantum onus subeant superiores, quanteque subtili eis compati, illudque prompte eis obediendo alleviare debeant. Ipsi enim sunt quasi Atlantes, qui portant Ecclesiam vel republicam, ita ut singulorum qui in ea sunt peccata ipsi episcopo, pastori vel rectori adscribantur. Hinc Apostolus *Hebr.* cap. xiii, 17: « Obedite, ait, propositis vestris, et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddiduri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis. » Ubi S. Chrysostomus, *homil.* 34: « Miror, ait, si potest aliquis rectorum salvari. » Ibidem S. Thomas: Christus, inquit, in die iudicii de singulis subditorum animabus interrogabit rectores, ab eisque singulorum salutem reposcet, dicendo eis illud *Ierem.* cap. xii, 20: « Ubi est grex qui datus est tibi, pens inclytum tuum? »

ET DIXIT DOMINUS AD SATAN: INCREPET DOMINUS IN TE SATAN, q. d. Deus ex zelo ipso amabat Jerusalem, eiusque pontificem Jesum, quoque indignabatur Satanae, tam improba et noxia Hierosolyme, aequae ac Deo impudenter postulanti, non exspectavit ut Michael advocatus Jesu ejus causam ageret; sed ipse ex fervore eum prevenit, causamque Jesu egit. Dixit ergo Satana: « Dominus, » hebraice *Jehova*, id est Deus optimus maximus imperio, increpatione et oburgatione sua reprimat et comescat tuam audaciam et superbiam, o Satan, qua ad dexteram Jesu pontificis, quasi eo dignior ejusque victor, te collocas; Deus, inquam, comescat te ne Jesu oranti pro restauratione Jerusalem cultusque divini noceras, neve illum in tam pio Deoque erato proposito impedias. Deus enim « elegit Jerusalem » ex omnibus mundi urbibus, ut in ea habitet et colatur.

Nota prima: Deus hic loquitur Satanae de seipso in tertia persona. Sensus enim est, q. d. Ego Deus increpabo et comescam te, o Satan. Verum di-

cit in tertia persona: « Dominus increpet te, » per hebraismum, tum ut ei ostendat suam majestatem; tum quia Satan indignus est quem Deus in prima persona compellet, ut cum eo cominus disputet et discipulet. Sic dicitur *Genes.* xix: « Pluit Dominus a Domino, » id est a seipso. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius et Rupertus, qui simul censent hic immi Trinitatem personarum in Deo, quasi Dominus Pater dicat Domino Filio: Increpa, id est comprime, Satanam. Cum enim Jesus filius Josedech non posset per se Satanae resistere, Filius Dei, qui etiam Jesus vocandus erat, increpuit pro illo Satanam, et simul hac increpatione significavit se, cum carnem acciperet, diabolum increpaturum, ut fecit *Matth.* iv cum ait: « Vade, Satana. » Ita Bellarminus, lib. I *De Christo*, cap. v. Unde et ter hic Dominus, nominatur, ut indicetur Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, ait noster Emmanuel.

Secundo, facilius et planius Albertus, Hugo, Arias et Vatablus censent hic loqui non Deum, sed angelum, puta Michael, eumque invocare Deum, ut Satanam increpet et comescat. Sicut enim Satan hic est actor, ita Michael est defensor, aequae ac iudex Jesu. In iudicio enim mox ut reum accusavit actor, eum defendit advocatus; vel certe, si accusatio sit calamitosa, ut hic erat, ipse iudex: « Dixit ergo » Dominus, » id est angelus Domini, « ad Satan. » Est metonymia, vel potius prosopopeia: angelus enim vocatur *Dominus*, hebraice *Jehova*, id est *Deus*, quia Dei vices obibat in hoc iudicio, eratumque pro eo iudex Jesu pontificis, ipse enim erat praeses et tutor Synagogae, ac proinde ad eum pertinebat iudicare culpam et causam Jesu, qui in Synagoga erat pontifex. Unde dicitur Jesus stetit coram eo, quasi reus coram iudice. Si enim Michael hic fuisset advocatus tantum Jesu, utique dixisset Zacharias eum a sinistris Jesu stetit, sicut dixit diabolus, quasi actorem stetit a dextris Jesu. Denique in sequentibus semper agit et loquitur angelus, non Deus: ergo et hic. Simili modo angelus vice Dei dans tabulas legis Mosi in Sina, teste Apostolo *Galat.* cap. iii, 19, gerit se ut Deus, imo Deum se vocat dicens: « Ego sum Dominus Deus tuus, » *Exod.* cap. xx, 2: quia personam Dei legislatoris sustinebat. Sic angelus Gedegem mittens contra Madianitas, nunc vocatur angelus, nunc Dominus, quia Domini erat legatus, *Judic.* cap. vi, 12. Denique ita videtur explicare S. Judas in *epist.* vers. 9; ibi enim huc alludens sic ait: « Cum Michael Archangelus eum diabolo disputans altercator de Mosi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiam (eum blasphemare, et conviciari, ei maledicere, dicendo v. g. Abi hinc, maledicta, vel maledicti tibi Deus); sed (modeste) dixit: Imperet tibi Dominus, » graece *impepet*, id est increpatione imperet, et imperando increpet cum potestate et oburgatione te, quasi impudentem actorem et calumniatorem,

Michael vocatur Deus, id est, Dei legatus.

Moraliter, recitantes. Aliter respicienda.

hoc est, reprimat et pescat tuam impudentiam et insolentiam Deus : hoc enim significat hebraicum *וַיִּגְדֹר*, id est *inrepat*, quod Septuaginta quos sequitur Judas, vertunt *inrepat*. Sic ait Psaltes, *Psalms*, *cxv*, 9 : « Incepit mare Rubrum, et exsiccatum est, » *q. d.* Acri imperio quasi increpando ferum mare cohibuit, divisit et sicavit. Et *Psalms*, *lxxvii*, 31 : « Inrepa feras arundinis. » Sic Christus *Luc.* *cap. viii*, 23 : « Incepavit ventum et tempestatem aquae, » scilicet dicens : Tace et obmutescite, hoc est, sedare et quiesce, ut habet Marcus *cap. iv*, 39. Quando enim contra naturam et naturalium causarum, puta ventorum, vim et impetum agitur, opus est vehementiori potentia et imperio Dei, quod Scriptura vocat increpationem, quasi quid violentum et ocoatum. Sic enim auriga equos, agasones asinos, magistri discipulos pigros increpando et mandando plagas, cogunt accelerare manum, vel gressum.

Moraliter, hanc Dei Satanam increpantis vocem usurpent, quicumque a Satana tentantur aut vexantur, ut Dei ope freti generose eum repellant, villipendant et calcant. Ita S. Bayo in Belgio, praesertim Gandavi celebris, cum spretis amplissimis latifundis (erat enim regum Francorum sanguine oriundus, et Austrasiorum ducum haeres) totum se Deo rebusque divinis daret, acriter oppugnatus a turba demonum, nunc canum, nunc luporum, nunc ursorum, nunc leonum, nunc serpentum voces et formas induentium, ingenti animi robore et fiducia eos irridens, dicebat : « Incepit in te Deus, o Satan, et increpat in te, qui elegisti Jerusalem. » Nec mora : legio evanuit, nec ultra virum Dei impugnare ausa fuit. Ita habet ejus *Vita*.

NUMQUID NON ESTE TORRIS EST ERUTUS DE IGNE? — Syrus : *hic est torris qui evasit de igne*; Arabicus : *hic sicut lampas immersus in ignem, q. d.* Judaeos ob peccata Babylonic igne, id est captivitate, punivi, multosque eorum consumpsi : ex illo igne Jesus, quasi torris e flamma afflatus et fuliginosus, hoc est miser et pauper evasit, ut Synagogam instaurat. Cur ergo tu, o Satan, vis eum omnino obruere, comburere et perdere, ut populum, cultumque Dei cui invidet, disperdas? Non ita erit : servabo eum, ne omnino comburatur : quia decevi per eum meum templum, populum, urbem et religionem restituere : Dei enim proprium est calamum quassatum non conterere, et linum fumigans non extinguere, *Isaia*, *cap. xlii*, 3. Ita S. Hieronymus et S. Cyrillus. *Vox torris* significat Jesum populumque Babylone ita deformatum, et quasi totum, ut pene consumptus sit, ac plane consumendus videatur, ni Deus eripiat et succurrat. Hinc proverbium : « Tido ad ignem, torris ad foem, » cum quis applicatur illi rei vel officio, ad quod natura factus natusque videtur, ut cum culinarius ad culinam, furcifer ad furcam, cocus ad ollas, incendiarius ad ro-

gum addicitur et applicatur. Sic Judaei hodie sunt quasi torres de igne, quo a Tito cremata est Jerusalem, eruti. Semiustulati, inquit Rupertus, igne, quo civitas eorum arsit, insignia ubique demonstrant, juxta illud *Amos*, *cap. iv*, 41 : « Facti estis quasi torris raptus ab incendio; » processit enim : « Subverti vos sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrhiam. »

Mystice, S. Gregorius, *lib. XI. Moral.* *cap. xvii* : « Populus, inquit, Judaicus ad gehennam incendia perfidia duce defuebat; sed dum ad fidem reducitur, ab eodem aeterni ignis incendio liberatur. Hinc statim de eo subditur : Numquid non est iste torris erutus de igne? »

Sic tropologice, « torris erutus de igne » est quilibet peccator, quem praedicator, vel confessor docendo et monendo, e gehenna, cui destinatus erat, eripit. Quid enim aliud sunt peccata, quam folles; et peccatores, quam torres et fomenta gehennae? Rursus S. Hieronymus : « Torris, ait, de igne erutus rectissime intelligi potest, qui cum in Babylone fuerit (uti et justus in mundo, mundique illecebris et tentationibus) non est Babylonic igne consumptus, nec flamma saeculi hujus attentus. Unde et Moses in solitudine cernit visionem magnam, in qua ardebat rubus, et non comburebatur. » Sic S. Judas in *epist.* 22 : « Hos, ait, arguite judicatos, illos vero salvate de igne rapientes. » Rursus S. Hieronymus torrem hunc adaptat Christo; quia ambustus flamma passionis, et resurgens retinuit ejus vestigia, plagas scilicet gloriosas.

3. ET JESUS ERAT INDUCTUS VESTIBUS SORDIDIS. — Arabicus : *Et erat super eum vestes sordidae* : tum quia ex Babylone nuper redierat sordidatus et squalidus, pauper et miser. Ita Theodoretus tum ob culpam recensitans *vers. 3*; vestis enim sordida sordidam notat mentem et conscientiam, quam expians angelus *vers. seq.* ait : « Auferte vestimenta sordida ab eo. » Et : « Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatoris. » Ita S. Hieronymus, Remigius, Haymo, Albertus et Lyranus : « Jesus, » inquit idem Hieronymus, « indutus erat vestibus sordidis tripliciter, vel ob conjugium illicitum, vel ob peccata populi, vel propter squalorem captivitatis. » Porro : « Splendide vestis (qualis erat pontificis Jesu) manifestiores sunt sordes, » ait Nazianzenus, *orat. 31*. Unde moraliter S. Bernardus sermone *De triplici custodia* : « Sicut, inquit, pretiosam vestem exigua quavis macula turpius decolorat, ita a nobis multo major exigitur justitia; cum in aliis novus, in nobis gravis sit macula. »

Symbolice, sordidae vestes Jesu pontificis induunt pontificatum, templum et cultum sacrorum non fuisse tam elegantem et magnificentum post reditum e Babylone, quam fuerat ante : defuerant enim illis praeter opes Salomonis aliaque plura, illa quinque insignia quae notavi *Aggæi*, *cap. ii*, 40. Ita Clarius.

Significat carnem a Christo assumptam esse quae passionem.

COMMENTARIA IN ZACHARIAM PROPHETAM, CAP. III.

Allegorice, Jesus filius Josedee, indutus vestibus sordidis, representat Jesum Christum sordida nostra carne indutum. Caro enim humana prae carne aliorum animalium omnium sordida est, verumosa, misera, ac mille morbis, foecibus et putoribus obnoxia, ut non aliud esse videatur, quam vas sordium, ut patet intuenti ea quae ex ore, oculis, auribus, naso et inferne egerimus. Sane si animam infantis dum concipitur, ingressura corpus videret ejus miseriam, morbos et sordes, quibus per omnem vitam continuis subiaceret, horreret in illud ingredi. Cogita quam horreat anima tua, viso aliquo corpore leproso, scabioso, ulceroso, cancro exeso, putido, cadaveroso, qualia mendicantium Romae ante templorum fores passim videmus, quamque detrectaret in illa ingredi, illaque induere et animare, si Deus id juberet. Et vide dignationem Dei nostri, qui sciens et praevidens carnem nostram omnibus hisce miseris et sordibus natura sua obnoxiam, eam tamen induit, cum Verbum caro factum est, ut eam expiaret, et ab hisce, magisque ab animae sordibus expurgaret. Ita S. Gregorius *lib. XX Moral.* *cap. xviii* : « Sordidis, inquit, vestibus indutus erat Jesus, quia quamvis alienus ab omni peccato, tamen in similitudinem venit carnis peccati. » *Secundo*, Jesus fuit sordidus, quia vitam egit inopem et pauperem in perpetuis laboribus et sudoribus, ac pedestre nudisque pedibus incedens et circumquaque evangelizans, pedes suos saepe pulvere et luto inquinavit. *Tertio* et maxime, quia in passione sordidatus fuit tum peccatis nostris, tum livore, sanguine, sanie, sputis, phlegmatibus, vulneribus, etc. Unde S. Hieronymus : « Jesus erat indutus vestibus sordidis, quia cum non fecisset peccatum, pro nobis peccatum factus est : et ipse infirmalitates nostras portat, et pro nobis dolet, et nos reputavimus eum esse in dolore (imo leprosum, ut ait *Isaia* *cap. lvi*), et in plaga, et in angustia. Ipse vero vulneratus est propter iniquitates nostras, et infirmatus est propter peccata nostra. Et in Apostolo legimus : Christus redemit nos de maledicto legis factus pro nobis maledictum. Hic in *Psalms*, *xxi* loquitur : Longe a salute mea verba delictorum meorum. Et in *Psalms*, *lxviii* : Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea non sunt a te abscondita : quae universa appellanter vestimenta sordida, et auferentur ab eo, cum nostra peccata deleverit; ut quia ille sordidis indutus est vestibus, nos resurgentes ab eo audiamus post baptismum : Candida sint semper vestimenta tua. » Audi et S. Ambrosium in *Psalms*, *cxviii*, ad illud : *Legem mihi constitue, Domine, viam justitiarum tuarum* : « Stabat, inquit, Jesus, et habebat vestimenta sordida : mea enim peccata portabat : sumpsit vestimenta nostra, ut nos splendore immortalitatis indueret : venit in nube levi quasi justitia : iniquitas enim in talento plumbeo sedet, Christus in corde justorum quos peccata non onerant. » Verum de

talento plumbi dicendum capite *v*, *vers. 7*.

Porro considera mirum litigium et duellum Christi et diaboli : stat hostis acerrimus, mucronem intentat, addicit morti, ac devotus sacerdotis caput; Christus nudum latus, nudum caput ac corpus, aut, quod in bello pro eodem est, lacera et sordidata veste indutum opponit, et vincit. Viderat id *Isaia* *cap. li*, 9 : « Consurge, ait, induere fortitudinem brachium Domini, » quid laceris eruentisque vestibus cum praelio? At dux Christus pro arce thoracae sanguineam chlamydem, pro ferreis ocreis manicisque ferreo clavos, pro galea spinas, pro militum presidio solitudinem, pro tubarum clangore silentium, et patientiam cum hoste congressurus obtendit. Verum nullus aequo potens thorax, ac cruenta caro; nulla praestantior fortitudo contra hostem, quam lacerati corporis infirmitas : quam ut cernit diabolus, debilitatur et frangitur, quoniam tam atroci paricidii, imo Christidii et Deicidii est auctor; ideoque confusus victusque aufugit. Hoc est quod de Christo dicit *Joannes Apocal.* *cap. xix*, 13 : « Et vestitus erat veste aspersa sanguine : et vocatur nomen ejus Verbum Dei, » scilicet efficax et omnipotens, quod ut suum robur ostendat, per ipsas plagas et vulnera sternit hostem, eumque exanimat.

4. ET STABAT ANTE FACIEM ANGELI. — quasi reus, *vers. 4*. ideoque sordidatus coram judice, ut dixi *vers. 1*, ac quasi suae causae diffidens, maleque sibi concius, supplex oculos flebiles dirigebat in angelum, poscens gratiam et opem. Sic olim rei pulla veste, intonsa coma, luridi et squalidi comparebant et consistebant in tribunalis, ut iudicium ad misericordiam flecterent.

4. QUI SCILICET ANGELUS PRAES ET JUDEX, PUTA MICHAEL, TACITIS VOTIS JESU ANNUNTIIS RESPONDIT ET AIT AD EOS QUI STABANT CORAM SE, — puta ad angelos sibi subditos et ministrantes. Ita S. Hieronymus, Remigius, Lyranus et alii passim, uno excepto Aria, qui putat hic Michaelem loqui ad sacerdotes, vel ad ministros Jesu pontificis : eorum enim erat ipsum vestibus exuere et induere; verum non hisce sordidis et mutatoris : sordidis enim et peccaminosis hisce Jesum exuere, et mutatoris enim induere soli poterant angeli.

AUFERTE VESTIMENTA SORDIDA AB EO (et induite eum mutatoris, puta vestibus pulchris et pretiosis, ac cidarim imponite capiti ejus, ut ait *vers. 5*. Utrumque fecerunt angeli obedientes Michaeli; qui prout hoc mutationis vestium symbolum et significationem explicans subdit) : ECCE ABSTULI A TE INIQUITATEM TUAM, ET INDUI TE MUTATORIS, — *q. d.* Ideo per angelos in visione jussi te exui sordidis, et indui speciosis vestibus, ut representem quod Deus tibi condonarit tuam iniquitatem, de qua dixi *vers. 3*, quodque sordidum habitum peccati commutarit in splendidi gratias et virtutum, quo te vestivit. Mutatoris enim vestes erant bellae et pretiosae : talibus enim solent vi-

Christus cruce et patibulo vinctus diabolum.

les mutari in festis; ideoque symbolice representant gratiam, virtutes et dona Spiritus Sancti, quibus ipse animam peccatorum in justificatione quasi reginam, imo sponsam Dei vestit et ornat. Unde Chaldaeus vertit: *Vide quod abstulerim a te iniquitatem tuam, et induerim te iustitiam.* Ita Alberthus, Lyranus, Arias et alii. Talibus se vestilam gloriantur Ecclesia, *Isaia lxi, 10*: « Gaudens, inquit, gaudebo in Domino, etc. quia induit me vestimentis salutis, et indumento iustitiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. » Porro Michael proprie non abstulit peccatum Jesu: solus enim Deus auferit et condonat peccata: sed « abstuli, » id est ablatum et condonatum tibi esse a Deo, hoc symbolo mutationis vestium significavit et representavi. Unde liquet Jesum de suo peccato indoluisse, et contritionis actum eluisse, partim ob monitionem et correptionem Esdrae, lib. 1, cap. x, 19 (ubi dicitur: « Et dederunt manus suas, ut egerent uxores suas (alienigendas, et pro delicto suo arietem de ovibus offerrent) Zachariae, et aliorum Prophetarum, vel sacerdotum priorum; partim per gratiam excitantem ad penitentiam ipsi a Deo immissam. Nemo enim qui est in peccato, ab illo purgari potest, nisi ad hanc purgationem se idoneum reddat, et disponat per actum doloris et penitentiae. Rursum nemo penitere potest, nisi gratia Dei ad id excitetur. Quocirca Hebraei, S. Hieronymus, Remigius, Haymo et Hugo, qui censent peccatum Jesu fuisse, quod contra legem uxorem duxisset alienigenam, censent pariter penitentiae ejus partem fuisse, quod eam dimiserit, duxeritque Judaeam; ita ut mutatoriae vestes significent commutationem uxorum. Unde Chaldaeus vertit vers. 3: *Imposuerunt cidarim mundam capiti ejus, et acceperunt ei uxorem decentem sacerdotum.* Id enim fecisse filios ejus et fratres, patet ex Esdrae loco paulo ante citato.

Jam vero vestes has mutatorias non laeas fuisse, sed sacras et pontificales, patet tum ex Septuaginta qui vertunt: *Induile eum podere*; poderis enim erat tunica pontificia usque ad pedes demissa; tum ex cidari, quae capiti Jesu imponitur; cidaris enim erat liara pontificis; tum quia sacerdotes et pontifices sacra obituri, mutabant vestes communes in sacerdotales, quae proinde mutatoriae dicebantur. Significat ergo angelus hac mutatione vestium, dimissum esse peccatum pontifici, quod eum quasi immundum arcebat sacris; ideoque reddita ei Dei gratia, eum dignum esse qui rursum sacra obeat et pontificatu fungatur, prout de facto suspensionem hanc sacerorum ab eo tollit, usumque et functionem eorumdem illi restituit. Ita Remigius, Alberthus, Haymo et Arias.

Anagogice. Allegorice et anagogice representatur hic Jesus Christus, qui in incarnatione et passione, tum carne nostra, tum probris et plagis quasi vestibus sordidis indutus, eas exiit in resurrectione,

quando gloria et honore a Patre vestitus et co-est matorum fuit. Ita S. Hieronymus, Eusebius lib. IV *Demonst.* cap. ult., Origenes hom. 14 in *Lucam*, et alii. Quocirca Tertullianus lib. III *Contra Marc.* cap. vii, hic notari censet duplicem Christi adventum: « Primo enim, inquit, Jesus est sordidis indutus, id est carnis passibilis et mortalitatis indiguitate, eum et diabolus adversabatur ei, auctor scilicet Judae traditoris, ne dicam etiam post baptismum tentator: Dehinc spoliatus pristinas sordes, et exornatus podere, et mitra, et cidari munda, id est secundi adventus gloria et honore. »

5. **ET DIXIT.** — scilicet angelus, puta Michael hic enim pergit loqui. Legit interpret *מִיכָאֵל* *veamar*, id est et dicit. Ita et Septuaginta. Jam alio puncto legunt *מִיכָאֵל* *veamar*, id est et dicit, in prima persona. Ita Chaldaeus, Pagninus, Tigurina et Rabbinii, quasi haec sint verba non angeli, sed Zachariae, qui oret angelum, ut jubeat cidarim capiti Jesu imponi. Verum prior lectio planior est et congruentior, ut patet intuitu.

PONTE CIDARIM. — Mitram, sive tiaram pontificiam imponite capiti Jesu pontificis, *q. d.* Pontificatum, aut potius usum et exercitium pontificatus restituite Jesu pontifici. Qualis fuerit cidaris dixi *Exod.* cap. xxviii, 36 et 40. Est hic hystero-logia: versus enim quintus totus quo Jesus jussu angeli induitur pontificalibus, antependens est illis angeli verbis vers. 4: « Ece abstuli a te iniquitatem tuam, et indui te mutatorias. » Haec enim verba significant et praesupponunt eum jam pontificalibus fuisse indutum.

6. **ET CONTESTABATUR ANGELUS DOMINI JESUM DICENS.** — Pergit Michael gravi oratione admonere Jesum pontificem, ut remissionem peccatorum et pontificiam dignitatem consecutus, mandata Dei diligentius servet, et a populo servanda curet. Si id fecerit, promittit ei stabilem pontificatum, ac consequenter regimen populi: hinc « eum contestatur, » id est tanquam testibus adhibitis, puta angelis ministris suis, ipsoque Zacharia; vel sub attestatione jurisjurandi graviter serioque eum admonet.

7. **CUSTODIAM MEAM.** — hoc est praecipua, praesertim caeremonialia, quae spectant cultum Dei rituumque sacerorum; haec enim sunt jura Dei omni custodia custodienda. Vide dicta *Osee* cap. iv, 10. Alludit ad custodiam regiam, puta ad milites praetorianos, qui regem et aulam regiam custodiunt, quales sunt Helvetii. Simili enim modo Jesus pontifex cum suis sacerdotibus et levitis, quasi militibus atriensibus, sed ecclesiasticis, agebat custodiam templi rerumque sacrarum, et ipsis quasi Dei, juxta illud *Numer.* cap. iii, 28: « Habebunt excurias in tabernaculo federis, » etc.

Tu quoque **JUDICABIS DOMUM MEAM.** — *q. d.* Si tu, o Jesu, legem meam custodieris, ego vicissim custodiam tibi pontificatum, faciamque ut sis custos templi, imo in templo meo stabilis judex, id est princeps et pontifex: hoc enim est domus

Dei in qua pontifex erat gubernator, imo princeps et quasi rex. Unde Chaldaeus vertit: *Tu judicabis eos qui in domo sanctuaris mei ministrant, et servabis atria mea.* Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Hugo et alii. Hinc consequenter eris judex, id est praeses et princeps populi cum Zorobabele: nam post reditum e captivitate, summa potestas et regimen Judaeorum fuit penes pontifices, ut docet Josephus lib. XI *Antiq.* cap. iv, et patet in Juda, Jonatha alisque Machabeis, qui fuerunt summi principes, aequae ac pontifices Judaeorum usque ad Herodem. Hinc per domum Dei potest accipi Synagoga, puta populus Israel. Sic de Mose ait Deus *Numer.* cap. xii, 7: « In omni domo mea (puta in regenda Synagoga, sive populo Dei) fidelissimus est. »

ET CUSTODIES ATRIA MEA. — *q. d.* Eris custos, id est praefectus templi: sicut enim rex est custos regni, ita pontifex Ecclesiae; perinde ac Deus custos est hominum, ut ait S. Job cap. vii, 20, et totius universi.

ET DADO TIBI AMBULANTES DE HIS, QUI NUNC HIC ASSISTUNT. — *q. d.* Praeter pontificatum quem jam promisi, dabo tibi aliquot ex angelis qui mihi assistunt, quorum circumvallaris auxilio, et ab hostibus securus populum recte regas, et ad salutem deducas: illi enim tecum ambulabunt, teque dirigent et protegent. Ita S. Hieronymus, Hugo et Lyranus.

Secundo, ex Hebraeo cum Septuaginta veritas: Dabo tibi qui conversentur in medio stantium istorum, q. d. Dabo filios et nepotes tibi in pontificatu successuros, qui celestem agant vitam, et familiares angelis, inter eos quasi conversentur, juxta illud Apostoli: « Nostra conversatio in caelis est. » Et talis sane esse debet vita sacerdotis et pontificis, ut quasi angelus emineat inter homines, inquit S. Chrysostomus. **Tertio, pro punctis legunt מַהֲלֵכִים mehallekim, id est ambulantes, jam alius punctis legunt מַהֲלֵכִים mehelekim, id est viae, transitus.** Unde Pagninus vertit: *Dabo vias inter stantes ipso; Tigurina: Tibi inter istos stantes transitus dabo;* tum ut inter angelos hosce mihi astantes converseris eorumque operem implores; tum ut per eos, eorumque patrocinio fulnes ad thronum Dei accedas, precesque et vota pro populo offeras; tum denique ut post mortem angelorum consortio adscribaris, et inter eos gloriosus verseris et ambules. Unde Chaldaeus vertit: *In resurrectione mortuorum suscitabo te, pesquesque veloces inter Seraphim illos ambulantes, tibi donabo.* Quae sane ingens est promissio aeternae felicitatis et beatae resurrectionis, in qua paradiso caelesti inserti accedemus ad multorum millium Angelorum frequentiam, ut ait Apostolus *Hebr.* xii, 22, unamque cum eis in superna Jerusalem societatem, et Ecclesiam triumphantem constituemus, in qua eminebunt sancti sacerdotes et pontifices, qui angelice vixerunt, et angeli ac mediatores fuerunt inter Deum et homines in hac vita.

Minus recte Theodoretus per eos qui assistunt, accipit sacerdotes, qui a Malachia cap. ii, 7, vocantur angeli, *q. d.* Dabo tibi posteros qui sint pontifices, et ut tales in medio sacerdotum aliorum ambulent et conversentur. Nec enim sacerdotes in hac visione assistebant Michaeli, sed angeli.

8. **TU ET AMICI TUI, etc., QUIA VIRI PORTENDENTES SUNT.** — Hebraice מְנַשֵּׁי מוֹפֵתִי *ansee mophet, id est viri portenti; Vatablus, viri prodigiorum;* quod varie accipi potest: *Primo, Septuaginta vertunt, quatuordecim, id est portentorum spectatores, qui scilicet portensa facta et oracula Prophetarum spectulenter et meditenter, inquit Theodoretus. Ubi adverte quales debeant esse domestici pontificum, ait Mariana. Secundo, Pagninus vertit: Secundo.*

Quia viri ad facienda portenta sunt apti; sicut Apostoli faciebant signa et prodigia multa in populo, *Actor.* cap. ii, 43. Unde Hebraei censent hic denotari tres juvenes, Danielis socios, Ananiam, Azariam et Misaelem, eosque vocari *viri portenti,* quia portensio in igne Babylonio illis manserunt. *Tertio, Cyrillus, q. d.* Quia cupit videre et audire res portentosas, audiunt portentum sacerdotum, nimirum: « Ecce ego adduco servum meum Orientem, » id est Messiam. Huc accedi Vatablus: *Sunt ergo viri portendentes, id est, viri digni sunt in quorum conspectu fiant multa prodigia, et quibus fiant revelationes de adventu Christi; apti sunt qui eum prophetent et annuntient.*

Quarto, Arias, q. d. Viri portentosi, id est eminentes sunt et admirabiles, qui ceteros homines sanctitate, dignitate, doctrina, factisque mirabilibus transcendunt. Tales enim debent esse sacerdotes et pontifices, praesertim apostolici, nimirum rari et eximii ut portenta, tantaeque sanctitatis, ut digni sint per quos Deus faciat portenta et miracula, uti fuerunt Apostoli eorumque sequaces. Unde Syrus vertit, *vir admirabilis sunt; Arabicus Antiochenus, viri admirabiles sunt; Arabicus Alexandrinus, viri signorum sunt;* id est facientes signa. **Quinto et genuine, alludit Zacharias ad illud Isaia, viii, 18:** « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel. » Et ad id quod Ezechiel, cap. xii, 6 ait Deus: « Portentum dedi tui domui Israel, » *q. d.* Tu, o Jesu pontifex, tuique amici Prophetae, puta Aggeus, Zacharias, Malachias, Esdras, Nehemias, etc., estis portenta Israelis; quia et factus et oraculis esis admirabiles et portentosi: portenditis enim Christum, Christique vitam, doctrinam et Ecclesiam. Christus enim futurus est portentum portentorum, puta maximum omnium, quae unquam non tantum ab hominibus et angelis, sed et ab ipso Deo patrata sunt: ipse enim erit Oriens, erit lapis septio-celatus caelatus sculpturis, etc., ut sequitur. In Christo enim non Propheta, non angelus, sed Deus ipse fecit se portentum saeculorum, quod suspiciunt

Vers. 8. Jesus cum sociis viri portenti quinquaginta.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Christus est portentum saeculorum.

et stupent angeli, homines et creature universe. Ita S. Hieronymus, Remigius, Haymo et Hugo. Verbum enim caro factum, est opus omnium Dei operum maxime stupendum et admirabile, ut pote in quo Deus non mundum, sed seipsum totum quantum quantum est dedit homini, hominumque se filium et fratrem effecit, ac consequenter hominem, et in homine creaturas omnes, quarum compendium, nexus et nodus est homo, ad sese elevavit et deificavit. Ibi portentum fuit Dei omnipotentia, quae limbum, id est carnem Verbo, hominem Deo, terram celo artissime, imo hypostaticè, conjunxit. Ibi ostentum fuit Dei sapientia, justitia et misericordia, quae culpam nostram condigna castigatione vindicavit et expiavit in morte Filii sui incarnati: ibi prae ceteris Dei attributis apparuit portentosa Dei charitas, quoniam, ut ait S. Joannes cap. III, 16: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. » Hoc portentum admirans Isaias exclamavit cap. VII, 14: « Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. » Et Jeremias cap. XXXI, 22: « Creavit Dominus novum super terram: Femina circumdabit virum. » Insuper Christus portentum fuit in incarnatione, portentum in nativitate, portentum in vita, portentum in morte, portentum in resurrectione, portentum in ascensione, portentum in miraculis, portentum in doctrina, portentum in gratia, portentum in gloria, portentum in tempore, portentum in aeternitate. Quid enim mundo portentosius, quam audire illa a Christo: « Beati patres spiritus: Beati qui lugent: Beati qui esuriant et siliunt: Beati qui persecutionem patient: Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos: Nisi quis renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. » Lucae XIV. Vide dicta Isaiæ cap. VIII, 18.

Jesu filius Josedei fuit portentum figurans et portendens Christum. *Primo*, ipso nomine: Christi enim nomen pariter fuit Jesus. *Secundo*, sanctitate, officio et dignitate; suo enim pontificatus representavit sacerdotium et pontificatum Christi. *Tertio*, vestibus sordidis representavit dolores et sordes Christi in cruce, æque ac vestibus mutatoris Christi gloriam in resurrectione, ut dixi vers. 3 et 4. *Quarto*, sicut Jesus iudeus et Babylone in Jerusalem, ita Christus omnes gentes et confessione peccati in Dei gratiam, gloriam, et in ipsam orlam adduxit. *Quinto*, sicut Jesus reedificavit templum, ita Christus Ecclesiam veterem per novam instauravit. Ita S. Hieronymus, Tertullianus, Ambrosius, Origenes et alii quos citavi vers. 4.

portentum fuit, sacerdos et pontifex, quibus fuit

Jesu, debent esse heroes, ac portenta sanctitatis, sapientiae et prudentiae, ut vita tranquillæ, sancta et eximia, æque ac doctrina, portendant beatitudinem et vitam æternam. Sic David fuit portentum persecutionum et patientiæ. Unde ipse ait Psal. LXX, 7: « Tanquam prodigium factus sum nullis. » Imo tales debent esse omnes sacerdotes, religiosi, cunctique fideles, ut docet S. Augustinus tract. *De Vita Christiana*, tom. IX: « Tales, ait, convenit esse Dei cultores et servos, mansuetos, graves, prudentes, pios, irreprehensibiles, immaculatos, ut quisque viderit eos, stupeat et admiretor, et dicat: Hi homines sunt dii, quorum talis est conversatio. Ita se homo Dei exhibere debet, ut nemo sit qui eum videre non velit, qui eum audire non desideret: nemo eum eum viderit, non Dei esse Filium credat, ut vere in eo propheticum illud impleatur: Fauces plebis dulcedinis, et totis desiderabilis. »

ECCE ENIM EGO ADDUCAM (in carnem, in Judeam, et in hocce tuum, o Jesu, fili Josedei, templum) SERVUM MEUM ORIENTEM. — Syrus, *servum meum ortum*, puta Mesiam, cujus tu, o Jesu, tuique amici estis portenta, et « viri » omnia « portendentes. »

Nota: Pro Orientem hebraice est *מִצְרַיִם tsemach*, id est germen, sursculus, qui pullulat et oritur e terra, vel ex arbore aut frutice. Alludit ad Isaiam cap. IV, 2: « In die illa erit germen (hebraice *tsemach*) Domini in magnificentia. » Et cap. XI, 1: « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: et requiescet super eum spiritus Domini. » Et cap. XLV, 8: « Borate, oculi, desuper, et nubes pluant justum: aperiant terra, et germinet salvatorem. » Et cap. LIII, 2: « Ascendet sicut virgulum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. » Et Jerem. cap. XXXIII, 15: « In diebus illis, et in tempore illo germinare faciam David germen (hebraice *tsemach*) justitiæ: et faciet iudicium et justitiam in terra. » Ubi Chaldaeus æque ac hic, pro germen vertit, *Messiam*; solent enim Prophete posteriores alludere ad priores. Septuaginta vertunt *ἀναστάς*, id est ortus, vel oriens, scilicet non tam sol quam germen; hoc enim significat *tsemach*.

Quæres, cur Christus vocatur *tsemach*, id est sursculus, vel germen? Respondeo *primo*, quia *tsemach* per metathesin idem est quod *צְמַח Messias h*, id est Messias. Licet enim in *Messias* sit littera *samach*, in *tsemach* vero *tsade*, tamen hæc illi est affinis; utraque enim valet latinum; unde ab interpretibus vertitur per s. *Secundo*, sicut Christus e Virgine natus est ombumbrante Spiritu Sancto, sicut germen e terra pullulat irrorante rore, vel pluvia celesti, sine maris concursu. *Tertio*, quia arbor Jesse, id est stirps regia Davidis, tempore Herodis succisa erat æque ad radices et truncum, ac videbatur emortua; sed Christus quasi germen ex ea suppullans et oriens, eam restituit. Nam primum hoc germen in or-

debet esse portenta sanctitatis.

Oriens, id est germen, est Christus.

Cur? Prima causa.

borem excrevit, quæ omnes gentes sub se complectens, toti orbi dominatur. Christus ergo stirpem, æque ac regnum Davidis collapsum instauravit; regnum, inquam, non temporale, sed spirituale et æternum. Hoc est quod Gabriel Christi ortum prænuntiavit, dixit Virgini Deiparæ: « Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum. » Lucae cap. I, 32. *Quarto*, germen significat parvitatem, infantiam, humilitatem Christi nascentis, quæ deinde crevit in tantum corpus, quantum est Ecclesia universa, juxta parabolam grani sinapis Matth. cap. XIII, 31. *Quinto*, *oriens* significat Christum a sui ortu, et a primo conceptionis instanti per gratiam tum unionis hypostaticæ, tum habituales, fuisse consecratum et unitum Deo, juxta illud Isaiæ, cap. XLIX, 1: « Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. » Ita S. Ambrosius lib. III *De Fide*, cap. III. Huc alludit Zacharias pater Joannis Baptiste, Lucae cap. I, 78, dum canit: « Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. » Ubi pro Oriens græce est *ἀναστάς*, uti hic hebraice *tsemach* vertunt Septuaginta (1).

Christus est Oriens, cur?

Ubi nota: Christus vocatur *ἀναστάς*, id est Oriens substantive; quæ græca vox, licet de ortu etiam germinum et herbarum dici possit, teste Suida, tamen proprie dicitur de ortu solis, lunæ et stellarum. Christus ergo est *tsemach*, id est germen; sed germen solare et celeste, *ἀναστάς*, id est oriens ex alto, ad illuminandum eos qui in tenebris et in umbra mortis sedent, uti subdit Zacharias; unde Arabicus vertit: *Ecce ego ascendere faciam supra servum meum illustrationes*, quasi dicit: Christus est *tsemach*, id est germen solare, et sol germinans in paradiso primo celesti, deinde terrestri: Christus enim est germen tum celeste, tum terrestre; habet enim duas generationes: *primo*, divinam, juxta quam est germen Patris æterni, et quasi *flos mentium*, inquit Proclus ex Chaldaicis mysteriis; *secundo*, humanam, juxta quam est germen matris virginis et Davidis. Et sic Christus quasi alter Melchisedech, in celo est *ἀναστάς*; in terra est *ἀναστάς*. Unde S. Ambrosius lib. I, *epistola*. 8: « Ecce ego mittam servum meum, Oriens nomen est ei. Numquid quia habebat vestimenta sordida, ideo fulgore divinitatis suæ sol justitiæ non habebat? » Itaque Christus primum in celo fuit sol germinans, et oriens summa claritate et gloria, deinde e celo in terram descendens, in ea germinare et nasci coepit. Christus enim est arbor vite, ex celesti para-

diso transplantata in terram per incarnationem, inde rursus ascendens in celum et paradysum beatorum, visione sua et fruitione dat sanctis vitam, immortalitatem et felicitatem per lumen gloriæ, suisque foliis et fructibus omnis voluptatis eos in æternum continue mulet et satiat, uti dixi Apoc. cap. XXII, 2. Quocirca uterque Zacharias Christum vocat solem justitiæ, et orientem; quia Christus lucem, lætitiæ, fecunditatem, vitam, gratiam, gloriam, omniaque bona orbi attulit, quasi sol justitiæ præfulgens Ecclesiæ. Sic Pompeius se jam incalrescentem, vocabat solem orientem; Cinnam vero æmulum suum proludentem, vocabat solem occidentem, teste Plutarcho in ejus Vita. Hinc Clemens Alexandrinus, *Adhortat. ad Gentes*: « Fiant, inquit, omnia lux, quæ sopiri non potest; et occasus crediti Orienti, æque illustratus luce fidei, ac ipse Oriens. Omnia enim obsequat sol justitiæ, in occasum traduxit in orientem, fecit æque splendens, utpote in quo non occidit lux fidei, imo orta fuerit. » Ita per *tsemach*, id est germen oriens, intelligunt Christum Chaldaeus, S. Hieronymus, Cyrillus, Remigius, Rupertus, Albertus, Hugo, Lyranus, Valabius, Emmanuel, Mariana et alii passim. Perperam ergo Rabbini, Theodoretus et Eusebius IV *Demonstr.* cap. ult., per *tsemach*, id est germen, accipiunt Zorobabel. Hic enim erat germen, id est puer, sed vir, æratque presens. Unde de eo falso dicitur: « Adducam servum meum Orientem; » nec Zorobabel fuit lapis septem oculos habens, celatus sculpturis, etc., ut sequitur.

Tropologie, S. Athanasius tract. *De Sabbato et Circumcisione*: « Solis instar, inquit, Deus exoritur, illustrans uniuersusque animam. Quocirca et in salubriter passione non apparuit sol, indicans finem prioris creature adesse, et principium alterius supervenire, quæ diluculum suum et exortum in Salvatore consecuta est. Hanc cum vidisset Propheta, ita locutus est: Ecce vir Oriens illi cognomen; ac rursus: Non enim videntibus eum exoritur sol justitiæ. Non enim omnium hæc dies est, sed eorum qui mortui sunt peccato, et vivunt Deo. »

9. QUIA ECCE LAPIS QUEM DEDI CORAM JESU. — Zacharias paulo ante Christum vocavit *germen oriens*; hic alia metaphora vocat eum *lapidem*, quia aludit ad fabricam templi, quæ a Jesu pontifice facta est ex lapidibus. Hi enim lapides representant Christum, qui est lapis angularis et fundamentalis in fabrica Ecclesiæ. Alludit ad Isaiam XVIII, vers. 16: « Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem lapidem probatum, angularem pretiosum, in fundamento fundatum. » Ita S. Hieronymus, Haymo, Remigius, Albertus et Lyranus. Hunc lapidem dedit Jesus « coram Jesu, » id est, per visionem Deus ostendit Jesu filio Josedei lapidem fundamentalem templi, eique revelavit per illum representari Christum, qui futurus erat lapis an-

vers. 8.

(1) *Germen*, ait ipse Rosenmuller, recte Chaldaeus exposuit Messiam. *מִצְרַיִם tsemach*, in omnibus aliis locis, in quibus occurrit, Messiam designat. Cf. Jerem. XXII, 5; XXIII, 15. — Qui de Zorobabele hunc locum explicant, quod de eo dici non poterit *adducam*, cum jam adductus fuerit. Cæterum notissimum est, Messiam apud Prophetas nomine *tsemach* et aliis huic similibus significari.

Tertia.

gularis Ecclesie. Ita Lyranus, Hugo, Vatablus, Clarus et alii. Sic enim explicat se Zacharias cap. vi, 12, ubi cum dixisset: « Ecce vir Oriens nomen ejus; » subjicit: « Et subter eum oriatur, et edificabit templum Domino. » Simili enim modo hic cum dixisset: « Ecce adducam servum meum Orientem, » subdit: « Ecce lapis, » etc., cui sollicit ipse suam inedicabit Ecclesiam (1).

SEPTIMUS OCULUS LAPIDIS. SUPER LAPIDEM UNUM SEPTEM OCULI SUNT. — Quæritur primo, an hi oculi lapidi incisii, vel affixi fuerint; an vero a lapide separati, sed in lapidem respicientes et intenti. Separatos fuisse et in lapidem prospectantes, censent Lyranus, Vatablus, Fernandus, Sanchez et alii: Quia, inquit, significant angelos in fabricam templi et Ecclesie, ideoque in lapidem, id est Christum, intentos, ut quæcumque ille jussit, prompte exsequantur. Aut, ut Clarus et Arias, quia hi oculi significant vigilantissimam dei providentiam et curam erga Christum, ut eum quasi lapidem affabre cælet, poliat, et in fundamento Ecclesie angularem apte constituat et conservet. Aut, ut alii, significant omnium angelorum et hominum, præsertim Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Doctorum, Martyrum, Virginum et Sanctorum illustrium oculos intentos esse in Christum, quia ab eo gratiam, salutem et omne bonum expectant.

Secundo. Verum concinnius et congruentius alii censent oculos hos fuisse lapidi affixos, vel incisos; primo, quia dicuntur fuisse « super lapidem unum. » Si enim fuissent extrinseci et intenti tantum in lapidem, dixisset: *versus lapidem unum*; secundo, quia hi oculi sunt lapidis, id est Christi, per quos ipse circumspicit, lustrat, protegit, curat, promovet totam Ecclesie fabricam; licet enim id faciat per angelos a se separatos, tamen quia hi angeli sunt quasi oculi Christi, hinc quasi oculi in ejus corpore infusi et pingi debent; tertio, quia hæc alludens S. Joannes Apoc. cap. v, 6, vidit « Ag-

(1) Recte in hunc versum Calmetus: « Deus duo isthic nobis exhibere vult sub imagine lapidis, quem Deus ipse cælet et sculpsit. Simul enim pollicetur, et templum instaurandum, in quo ipse angularem lapidem statuet, et Messiam venturum, qui domum toto celo præ Hierosolymitano templo angustiorum ædificet. Zorobabel quidem curabat templi hujus ædificationem (Zach. iv, 7), et Jesus Christus christianam Ecclesiam erit ædificaturus. Prior ille ædificator, primusque illud templum altioris erant figura. » Juxta alios, ut Petrus de Figueroa, intelligitur lapis ille, quem primum jaciunt, quem postiturus, vel jacturus erat Zorobabel, coram Jesu, id est in presentia Jesu. Juxta Maurer et contra, is lapis est lapis supremus anguli, ut cap. iv, 7, non lapis angularis in fundamento positus. Is enim eo tempore dudum erat positus. Hæcigitur quidem retractare vatem præterita judicat. Sic vero otiosa ille loqueretur. Futura prospicit vates, tempus, quo lapis anguli supremus, priusquam immittatur, a pontifice sit consecrandus. Notandum ipsius Maurer, licet hic non expresse agnoscat a Propheta respici tempus Messianum, attamen hæc ad vers. 8 futuri conatum. Cætorum Messiam vatem expectasse *propetitem* venturum, intelliges ex cap. vi, 9 et seqq.

num (id est Christum) stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. » Sicut ergo cornua septem erant Agno affixa, ita et oculi septem; ergo et hic oculi septem lapidi, id est Christo, fuerunt affixi; quarto, quia pari modo Cherubini, Ezechiel. cap. i, 18, et Joannes Apoc. cap. iv, 8, pleni erant oculis; nec tantum ipsi, sed et rote curru cherubici, ut patet Ezech. cap. i, 18, qui representant divinæ providentiæ actionem, et executionem attentissimam et oculatissimam. Vide ibi dicta. Ita S. Hieronymus, Haymo, Remigius et alii. Porro quales fuerint hi oculi, et qualiter in lapide concipiendi sint, explicat noster Mariana in hunc locum: In lapide, inquit, fundamenti solent excavari sigilla, quibus includuntur stipes auri et argenti, perpetuitatis argumento. Ea sigilla vocantur oculi, tum quia erant concava, tum quia habebant speciem et formam oculorum. Aliter Prado Proemio in Ezech. sect. vii: Septem oculi, ait, sunt totidem stellæ oculatæ. Mundus enim est quasi homo magnus, cujus facies est coelum, quod stellis quasi oculis distinguitur, illuminatur et exornatur. Verum stellæ non sunt oculi, nisi mystici et hieroglyphici.

Quæres secundo, quidnam hi septem oculi significant? Primo, aliqui censent oculos hos esse rimas lapidis, quasi dicat: Ne putetis hæc lapidem ob rimas, fabricæ tantum inutilem, ecce ego eas affabre oculabo, ut fabrica decus, non dedecus afferant. Secundo, Hugo censet septem oculos significare architecturam et latiorum industriam et vigilantiam, qua septem quasi oculis, id est summa attentione et cura, attendebant fabricæ templi Zorobabelis, ut illa esset elegans et omni ex parte accurata. Verum etsi eo alludat Propheta, longe tamen majora et sublimiora spectat.

Dico ergo hos septem oculos significare plenam et perfectam Christi providentiam et vigilantiam circa templi, id est Ecclesie sue, fabricam, erigendam, augendam, promovendam et conservandam, quam exerceat per septem angelos primarios, qui aule sue sunt quasi principes, ideoque prefecti tum cæteris angelis hominum custodibus, tum ipsis hominibus totique Ecclesie et orbis. Id ita esse patet ex cap. iv, 10, ubi ait Zacharias: « Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram. » Et Apoc. cap. v, 6: « Agnus habebat oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. » Et Tob. xii, 15: « Ego, inquit, ante Dominum. » Et Apoc. cap. i, 4, S. Joannes pacem appetit septem Ecclesie « a septem spiritibus, qui in conspectu throni sunt, » ubi fuisse de his septem angelis egi. Porro angeli vocantur oculi, quia sunt puræ mentes, perspicacissimæ et vigilantissimæ; unde et intelligentiæ nuncupantur. Simili

Quid significant. Responsio primo.

Secundo.

Tropologice septem oculi sunt septem dona Spiritus Sancti.

modo Ægypti pingebant Osirim deum suum, quasi oculum scepro insistentem; scepro ejus imperium et gubernationem, oculo ejus providentiam et vigilantiam significantes. Ita Macrobius lib. I, cap. xxi, et Plutarchus lib. De Iside et Osiride. Sic Tertullianus lib. I De Trinitate, Deum totum oculum dixit, qui totus videt. Et alibi: Dei oculum, ait, somni expertem, quoniam est ipsa lux, quæ ad omnia excubat. Quin et Diphilus apud Gellium, lib. XIV, cap. iv: « Est, inquit, qui tuetur cuncta justitiæ oculus; » adeoque veteres Deum vocarunt « mundi oculum. » Denique Pausanias in Corinthi. scribit statuam Jovis in subdiali ara, ad quam Priamus capta Troja confugit, tribus oculis fuisse insignem; his vero significabatur triplex dei providentia, quæ cælestia, maritima et inferna curat, ait Pierius Hierogl. lib. XXXV, cap. xv. Sensus ergo est, q. d. hic lapis quem tibi ostendi, o Zacharia, puta Christus, qui est lapis angularis Ecclesie, non erit inanimitis et insensibilis, sed vivus, oculatus, vigil et acer, qui sua oculatissima providentia per septem angelos totam Ecclesie fabricam lustrabit, diriget, promovebit, omnibusque ejus partibus et membris de cunctis requisitis providebit abunde. Sic Persarum reges habebant principes, qui vocabantur oculi regis, et alios, qui aures regis dicebantur, teste Hesychio et Suida in voce *ἐφάπαξ βασιλεως*. Et forte eo alludit hic Zacharias; nam reges Persarum habebant septem aule principes, sicut Deus habet septem angelos principes mundi. Unde Scriptura eorum vix facit mentionem, nisi postquam Judæi redierunt et captivitate, ubi similes viderant in aula Cyri et Darii, ut dixi in Comment. Apoc. I, quem curiosus lector consulat.

Tropologice, septem oculi sunt septem dona Spiritus Sancti, quæ plenissime fuerunt in anima Christi: quia hæc animam ejus oculatam, illuminatam ac vigilantem reddunt. Ita S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Emmanuel et alii. Alludit ad ocellos, quos phrygiones operi suo, puta vesti Phrygiæ intexunt, ut sit oculatam et elegans instar caudæ pavonis, q. d. Christus instar lapidis septem oculis cælati, omnibus donis, gratiæ et virtutibus, quasi oculis divinis cælabitur et exornabitur.

Audi S. Gregorium lib. XXIX Moral. xvi: « Super lapidem unum septem oculi sunt. Huic enim lapidi (Christo) septem oculos habere, est simul omnem virtutum Spiritus sancti gradie in operatione retinere. Alius namque prophetiam, alius scientiam, alius genera linguarum, alius interpretationes sermonum juxta distributionem Spiritus Sancti accipit: ad habenda vero cuncta ejusdem Spiritus munera nemo pertingit. At vero conditor noster infirma nostra suscipiens, quia per divinitatis sue potentiam simul se habere omnes Spiritus Sancti virtutes edocuit, micantes procul dubio pleiades junxit. »

Allegorice a Castro: Christi corpus, inquit, in passione instar lapidis septem oculis incisii, multis incisionibus, viblicibus et vulneribus quasi oculis cælabitur, et pulcherrima varietate distinguetur, ut hi oculi sint cælatæ, de qua subdit: « Ego oculabo sculpturam ejus. »

Symbolice, ex Zacharia, uti et ex Apocalypsi, Ecclesia Romana accepit multos ritus et ceremonias, indeque similia symbola rerum sacrarum in Officiis ecclesiasticis mutuata est. Ita ex hoc loco accepisse videtur olim septem Cardinales diaconos, quos S. Clemens epist. I ad S. Jacobum vocat « oculi Episcopi, » et totidem Cardinales episcopos, in Lateranensi ecclesia, cujus episcopus proprius et verus est Pontifex Romanus. In ea enim est sedes et cathedra Episcopatus Romani, ibique novus Pontifex ejus, ac consequenter Pontificatus totius Ecclesie, qui Episcopatus Romano annexus est, possessionem capere solet. Quocirca ita de ea scribit B. Petrus Damianus lib. II, epist. 2 ad S. R. E. Episcopos Cardinales: « Ecclesia Romana excellentioribus præ cæteris totius orbis Ecclesiis nitiur privilegiis; sed et mysticis etiam instituta atque disposita non ambigit sacramentis. Nam, ut de pluribus pauca perstringam, Lateranensis Ecclesia sicut Salvatoris insignita est vocabulo, qui nimirum caput est omnium electorum; ita mater, et quidam apex et vertex est omnium per orbem Ecclesiarum. Hæc septem Cardinales habet episcopos, quibus solis septem Apostolicum sacrosanctum illud altare licet accedere, ac divini cultus mysteria evidentior oraculum: Ecce, ait, lapis quem dedi coram Jesu: super lapidem unum septem oculi sunt. Lapis autem iste procul dubio illa petra est, de qua verus Jesus Petro pollicetur, dicens: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Septem ergo oculos habet hæc petra, quia totidem S. Spiritus donis sancta præfulget Ecclesia, quibus nimirum velut candelabrum aureum inextinguibiliter rutilans ignorantie tenebras effugat, et ad contemplandum justitiæ solem hominum mentes illustrat. De quo idem Propheta cap. iv: Vidi, ait, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernas ejus super illud. Quod utique sacramentum quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea. Septem stelle, angeli sunt septem Ecclesiarum, et candelabra septem, septem Ecclesiarum sunt. » Septenarius enim est symbolum universalis. Septem ergo Ecclesie sunt omnes Ecclesie, quas in se quasi in matrice continet Ecclesia Lateranensis et Romana, quæ omnium est princeps et regina, uti ait idem Damianus. Unde et subdit: « Nos itaque, fratres mei, et tu et me vobis audenter interseram (fuit enim et ipse cardinalis ac episcopus Ostiensis, qui inter Car-

Symbolice, septem oculi sunt septem Cardinales.

dinales est primus, ac solet consecrare Romanum Pontificem; nos, inquam, qui tanquam septem sumus oculi super lapidem unum, qui stellarum portamus imaginem, qui angelorum tenemus per annuntiationis officium dignitatem, videamus, spemendamus, et per verba vite populis non solum vocibus, sed et moribus nuntiemus sermonem. Siquidem predicantium lingua quidem nuntiat, sed vita commendat. Apostolus ait: Qui Episcopatum desiderat, non bonam dignitatem, non bonum honorem, sed bonum opus desiderat; ac si dicat: Qui ad Episcopatum anhelat possidendum sine bono opere, inane vult nomen induere sine rei ipsius veritate. Non ergo constat Episcopatus in turris gibellinorum, transmari-narumve ferarum pileis, non in flammantibus martorum submentalibus rosis, non in bractearum circumfuentium phaleris, non denique in glomeratis constipantium militum cuneis, neque in frementibus ac spumantia frena mandentibus equis; sed in honestate morum et sanctorum exercitatione virtutum. » Et inferius: « Vos ergo dilectissimi, quibus prava datum est ex Apostolice Sedis auctoritate corrigere, vosmetipsos ceteris non modo fidelibus, sed et sacerdotibus quamdam vivendi regulam exhibete. In vita vestra legatur quid agi, quid vitari conveniat: ex labiis nostris verba otiosa non effluant, sacerdotalem linguam discreti silentii censura com-pescat: non joci solvant, non pectus nostrum immoderata letitia concutiat. Puerilis ludus abscedat; mordax eloquentia, urbana diacitas evanescat. Quomodo enim ex ore sacerdotis oratio ad Deum munda dirigitur, quae pravi sermonis sordibus inquinatur? » Et in fine: « Vos estis sal terrae, vos non modo sacerdotes, sed et sacerdotum decet esse magistros. Necesse est ut vita vestra quaedam sit linea et velut adamantis signaculum, quod ceteris vivendi adhibeat formam. Adamantium quippe sigillum suam ceteris imprimit, a nullis vero metallis imaginem sumit. Cum ergo ex diversis mundi partibus ad-ventantium vobis ingruit multitudo, cum morigerari sibi quisque vos importune compellant, vultus vester semper idem, sic festiva quadam serenitate respondeat, ne in aliquo puerilis le- vitas erumpat: sit gravitas hilaris, et gravis hi- laritas. »

EGO CÆLABO. — Hebraice: *Ecce ego aperiam aperturam ejus, quod primo Chaldeus explicat: Ecce ego visionem ejus revelo, q. d. Ego tibi, o Zacharia, hanc visionem lapidis mystici ostendo, ejusque significationem de Christo revelo. Verum hebraea phrasid id non patitur: nam aperire aperturam Hebraeis idem est quod sculpere sculpturam, vel cælare cælaturam, uti vertunt Septuaginta, Aq. illa, Symmachus, Theodotus, Noster, Pagninus, Vatablus et alii passim. In sculptura enim sculpsit aperit et erudit partes aliquas, vel in longum, facitque strias; vel in rotundum, vel*

in quadrum, aliisque mille modis, ut sculpat flores, aves, poma, aut quod ei libuerit.

Secundo, Rabini et ex his Hugo haec intelligunt de cælatura templi Zorobabelis, q. d. Ego perficiam templum hoc, illudque elegantius cælatura forinsecus exornabo; aut cælum, id est formicem cælata illi inducam: perfecta enim fabrica solet cælari et cælaturis exornari. Verum esto eo alludat Propheta, tamen altiora spectat de Christo.

Dico ergo lapidem cælatum esse Christum, ejusque cælaturas vocari vel septem oculos in eo cælatos, ut nonnulli volunt; vel potius ipsa edificantis stemmata in primo fabricæ lapide cælata. Nam cælaturas has ab oculis esse diversas liquet ex antitypo: oculi enim angelos, cælaturæ, dona et stigmata Christi representant, uti mox declarabo. Alludit ad primum templi, vel fabricæ lapidem, quem architecti cum solemnitate et pompa in fundamentis ponunt, itaque fabricam inchoant. Unde lapis ille primus solet insignibus principis, qui fabricæ est auctor, insculpi: ita Christo, quasi lapidi primo Ecclesie, Deus sua insignia et stemmata insculpsit: primo, in ejus incarnatione, in qua Spiritus Sanctus Christi corpus et animam tanta perfectione elaboravit, ut humanitas illa a Deo elegantissime tornata et cælata videretur. Insuper eandem ornavit et cælavit omni sapientia, virtute, gratia et gloria, quasi cælum quoddam divinum sole, luna et stellis pulcherrimis cælatum et distinctum; denique per gratiam unionis hypostaticæ illa cum Verbo adaptavit, ut videretur humanitas esse quasi gemma politissime cælata et adaptata annulo auro divinitatis Verbi. Audi S. Irenæum lib. III, cap. xxviii: « Hic lapis et terra, et ex virtute et arte constat Dei: significat autem in terra virgine ortum, sed virtute Spiritus Sancti artificiose cælatum. » Ita quoque Lyranus, Dionysius et alii. Nam Spiritus Sanctus ita affabre humanitatem divinitati univit, inseroit et quasi cælavit, ut inter naturam divinam et humanam summa sit unio in Verbo, ac per unionem mutua intimaque eorumdem sit complexio, seu *συνέκτιστος*, ut ait Damascenus lib. III, cap. viii. Et tamen Verbum ipsum nullam ad humanam naturam contraxit habitudinem, nullum ordinem, nullam inclinationem. Infinita enim illa vis hypostatica sufficit, ut se ad illam extrinsecus attrahat et velut insertam, absque ulla sui mutatione velut terminus et basis hypostatica extendat, eamque insolubili et substantiali nexu sibi intime astringat et copulet; perinde ac intellecto divina propter suam infinitam intelligendi vim, sese extendit ad futura contingentia, eaque attingit et prævidet; atque volitio divina propter infinitam volendi vim, sese extendit ad omnia existentia, quorum ipsa est causa absque accessione alienus habitudinis realis ad illa: nullam enim ad illa relationem realem acquirit vel contrahit intellectus, aut voluntas Dei.

Lapideus est Christus.

Primo, in incarnatione.

Secundo, in passione.

Secundo, et plenus, Christus quasi lapis cælatus fuit in passione, tum clavibus, spinis et flagellis active; tum vulneribus, plagis et velleis passivo; quibus totum corpus suum fodi et aperiri voluit, ut immensam suam in nos charitatem intus latentem per has quasi rimas ostenderet et effunderet, juxta illud:

Cernis ut in toto corpore sculptus amor.

Unde Hebraea habent ad verbum: *Ecce ego aperiam aperturam ejus*; Syrus et Arabicus Antiochenus: *Ecce ego aperiam portas ejus*: portæ enim corporis et cordis Christi, sunt ejus plagæ et vulnera; Arabicus Alexandrinus: *Ego coaptans eos*, scilicet septem lapidis oculos; Septuaginta: *Ecce ego fodio foveam*. Hæc enim passionum cælaturis expolita fuit Christi patientia, obedientia, charitas, fortitudo cæteræque virtutes divine: itaque perfecta Dei imago in ipso cælata apparuit; ac proinde lapidi huic rupique tot plagis excavate, et quasi stemmatibus regni sui insculpte et decorate, Deus Ecclesiam suam inædificavit, ut per eum abstulit iniquitatem orbis, ut sequitur. Ita S. Hieronymus, Remigius, Haymo, Rupertus, Vatablus et Clarus. Perperam ergo Theodoretus per foveam hanc accipit stragem et sculpturam Gog et Magog: « Hæc, ait, de Gog et Magog prædixit, quibus in una die pernicium attulit, et omnes pariter ad occisionem deduxit, quam per translationem et comparisonem foveam appellavit. » Gog enim et Magog venturi sunt tempore Antichristi, et cædendi in fine mundi, ut dixi Ezech. xxxviii.

Tropologicæ, hæc Christi nascentis et patientis sculptura representat cælaturam et ornatum animæ, virtutibus et donis omnibus insculpte, ac per crucis et patientiam incisæ et expolite, ejusque est prototypum et exemplar. Vis ergo, o christiane, in anima tua sculpere imaginem elegantissimam et divinam obedientiæ, humilitatis, tolerantiae, constantiæ, amoris et perfectionis christianæ? Inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte Calvarie a Christo monstratum est. Deus in creatione et generatione tua suam tibi imaginem et similitudinem impressit et insculpsit, Genes. i, 27, eamque peccato deformatam per Christum in baptismo et justificatione reformavit, ut cum per ejus gratiam cæla, expoli et perfice. Si modum nescis, docebit te Christus: inspice ejus cælaturam in cruce. Invidit te moribus, paupertas, damna fortunarum, sustine exempli Christi, ac dicito: Non mea voluntas, sed tua fiat. Invidit te hostis, æmulus, detractor, calumniator, spargit de te quæ nunquam cogitasti: sustine, noli per indignationem inferre maculam imagini tuæ, noli cælaturam patientiæ tue per impatiendam maculare. Gradu tuo deieceris, depimeris, negligeres, remuli tui attolluntur, te despiciunt, tibi insultant: sustine, hæc et majora pro te sustinuit Christus Dei Filius, cum a Judæis

irrisus, conspuitus, flagellatus, et quasi latro in crucem actus est. Imperat superior rem arduum, periculosam, alacriter eam capesse: sequere Christum, qui factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Si reniteris, excutis, excusas, vide quam longe absis a cælatura obedientiæ Christi. In docendo, conceionando, confessiones audiendo, pagos circummeurando, rusticos, rudes et pauperes docendo, sentis labores et dolores: eia athleta Christi, ejus amore omnia transcendes et supera: ille pariter pauperes evangelizavit, vicos et pagos predicando pedes obivit, fatigatus est, sudavit, æstuavit et alit. Illius ad instar sculpe hosce dolores et labores modicos, et modici temporis in anima tua: « Cæla in ea cælum et solem charitatis: pinge et sculpe æternitatis. » Audies breviquod ille tertio die resurgens audivit: « Propter quod et Deus exalavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum. » Ita ad exemplar Christi pinxit et cælavit animam suam, æque ac corpus. S. Paulus dicens: « Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto, » Galat. vi, 17. Illi auxperunt S. Andreas æstuans amore crucis, S. Ignatius provocans leones, S. Laurentius in craticula delicias, S. Vincentius Daciani tormenta irridens, S. Agnes contra tyrannos, ignes, procos ad mortem usque decertans et triumphans. Ita pinxerunt omnes Patriarchæ, Prophætæ, Apostoli, Martyres, Anachoretæ, Doctores, Confessores, Virgines Sanctique omnes. Hos tu sequere, pictores hosce imitare, hos cælatores adæqua, vel æquis passibus consecrare, ut pingas imaginem, ut cæles cælaturam in cælo per cuncta sæcula ad Dei gloriam tumque deus, coram angelis sanctisque omnibus perennaturam. Quod enim momentaneum est et leve tribulationis, humilitationis, mortificationis nostræ, æternum gloriæ pondus operabitur in nobis, idque brevi et quasi post momentum

Tusionibus, pressuris
Expoliti lapides,
Suis coaptantur locis,
Per manus artificis,
Disponuntur permansuri
Sæcis ædificis.

Cælum, inquit Varro lib. IV, dictum est quod cælatum, id est signatum, sideribus sit; multo magis cælum empyreum cælatum est gemmis, floribus, fructibus, uti describit S. Joannes Apoc. xxi et xxii. Cælum est anima tua, si sancta sit; illam ergo cæla patientia, obedientia, humilitate omnique virtute, ut in cælo empyreo cælari, imo illud cælare et ornare mereatur.

ET APERIAM INIQUITATEM TERRÆ ILLIUS (pala Judæe, in qua primi fideles conversi ad fidem et gratiam vi sanguinis Christi, illi quasi lapidi cælato et fundamentali inædificati sunt) IN DIE TERTIA, — qua scilicet ipse cælatus, id est passus et mor-

Cælum quasi cælaturam stellis.

tuus, pro omni iniquitate Deo satisfecit, eamque quantum in se est abolevit, æque ac veteres victimas vetusque sacerdotium, quod maculas anime expiare non poterat. Ita S. Hieronymus, Remigius et Haymo. Meminit Judææ præ aliis gentibus, quia Judæis promissus erat Christus, et quia Judæis prophetabat Zacharias. Unde eos jam Babylone redeuntes et afflictos, promissione Messie consolat: post Judæos tamen iniquitas totius orbis per Apostolos ex mentibus credentium ablata est.

Vers. 10. 10. VOCABIT VIR AMICUM SUBTER VITEM, ET SUBTER FICUM, — q. d. Christus sua passione non tantum auferet iniquitatem, sed et afferet pacem, bonorum affluentiam, delicias, æque ac amicitiam et rerum communicationem, adeo ut omnia inter christianos communia futura sint, et ex eadem vite eademque ficu simul fructus carpant, et secure hilariterque se invicem invitent et convivent, idque tum corporaliter, tum potius spiritaliter. Hanc enim pacem et opulentiam significat hæc phrasit et parennes hebraica, ut patet III Reg. IV, 23, ubi dicitur unusquisque habitasse sub vite et ficu sua cunctis diebus Salomonis, q. d. Plena fuit pax et rerum copia sub Salomonis imperio.

Porro Christus non tantum attulit pacem et opes spirituales, sed et temporales. Lex enim Christi præcipit charitatem, condonationem injuriarum, patientiam, amorem inimicorum, etc.: que omnia pacem temporalem, indeque temporalium affluentiam pariunt, uti ostendi *Isaia* II, 4. Sic in primitiva Ecclesia christiani omnia habebant communia, *Actor*, cap. IV, 32.

Mystice, vitis et ficus, non hujus vel illius in particulari, sed absolute fidelium omnium est vitis et ficus nobis est Christus. Mystice, gratia, consolationes, omniaque bona, que quasi sapidissimas fies et uvæ ex Christo, quasi ex ficu et vite affatim decerpimus, in quibus christiani deliciantur et nectare celestis, præsertim in Eucharistia, inebriantur, de quo plura cap. IX, 17. Ita S. Hieronymus et Remigius. Porro condiciones vitis applicui Christo, *Ezech.* XV, 4, et ficus, *Jerem.* XXIV, 2.

Quare perperam Rabbini hanc felicitatem Judæis datam putant a Machabæis, lib. I *Machab.* cap. XIV, 4. Esto enim eo alludat, tamen majora et spiritualia, que Christus attulit, spectat Propheeta; solus enim Christus abstulit iniquitates terræ, non Machabæi.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Zacharias candelabrum septiceps, vel potius octiceps, ad cujus latera erant duæ olivæ, una a dextris, altera a sinistris: ac per hoc significari intelligit, per Dei curam et providentiam templi fabricam inchoatam fore perficiendam, et ad culmen perducendam. Deum enim id velle, cui nulla Persarum vel hominum potentia resistere possit: consequenter duas olivæ esse Jesum pontificem et Zorobabel principem, qui assistunt Deo, ut candelabrum, id est templum, reddificent, et populum in rebus tam sacris, quam civilibus et politicis regant. Hic est sensus litteralis, ut patet ex eo quod jungitur vers. 6, 7, 9, 10, sermo dirigatur ad Zorobabel, ducem Judæorum illo tempore. Deinde ex vers. 9, ubi expresse ostenta hæc ita explicat angelus, dicens: Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam. Ergo ad litteram intendit hac visione animare Zorobabel ad perficiendam fabricam templi quam inchoaverat, et de cujus consummatione diffidebat. Porro totum hoc caput dirigitur ad Zorobabel: sicut enim capite præcedenti Jesum pontificem, ita hoc capite Zorobabel principem populi incitat ad inchoatam templi fabricam strenue proseguendam et consummandam. Ab hisce enim duobus capitibus pendet totum populi corpus, puta Ecclesia a pontifice, respublica a principe. Allegorie tamen et præcipue per reddificationem templi adumbratur Ecclesia edificanda, tum ex Judæis, tum magis ex Gentibus per Christum. Hic enim est mysticus Zorobabel, cui nemo principum, nec Judæorum resistere poterit. Esto enim Judæi ipsam respiciunt, tamen Gentes avidè amplectentur, atque ipsi Judæi in fine mundi ad eum convertentur per predicationem Eliæ et Henoch. Hi enim sunt duæ olivæ, que assistunt dominatori terræ, ut ejus Ecclesiam perficiant, oleoque doctrinæ, gratiæ et exempli sui alant, illuminent et gubernent, uti explicat S. Joannes Apoc. XI, 4. Ino liberata et alii volunt hanc esse sensum litteralem; sed ex dictis patet esse mysticum.

1. Et reversus est angelus, qui loquebatur in me, et suscitavit me, quasi virum qui suscitatur de somno suo. 2. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud: et lampas septem infusoria lucernis, que erant super caput ejus. 3. Et duæ olivæ super illud; una a

dextris lampadis, et una a sinistris ejus. 4. Et respondi, et aio ad angelum, qui loquebatur in me, dicens: Quid sunt hæc, domine mi? 5. Et respondi angelus, qui loquebatur in me, et dixit ad me: Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi. 6. Et respondit, et ait ad me, dicens: Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non in exercitu, nec in robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus exercituum. 7. Quis tu, mons magne, coram Zorobabel? in planum: et educet lapidem primarium, et exæquabit gratiam gratiæ ejus. 8. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 9. Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam: et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. 10. Quis enim desepit dies parvos? et lætabuntur, et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram. 11. Et respondi, et dixi ad eum: Quid sunt duæ olivæ istæ ad dexteram candelabri, et ad sinistram ejus? 12. Et respondi secundo, et dixi ad eum: Quid sunt duæ spicæ olivarum, que sunt juxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro? 13. Et ait ad me, dicens: Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi. 14. Et dixit: Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.

Vers. 1. 1. ET REVERSUS EST ANGELUS, — puta Michael, ut dixi cap. III, 3, qui post visionem cap. III mihi ostensam a me recesserat, rediens in cælum ad Deum, ut ei de more quasi princeps militiæ celestis assisteret. Nam ibi accepta nova a Deo visione et revelatione mihi communicanda, reversus est ad me, qui visionem quam videram cap. præcedenti ruminans et admirans, hærebam quasi stupefactus et attonitus. Unde Michael ab hoc stupore quasi a somno me excitavit, ut evigilarem et attendere ad novam hanc candelabri visionem, quam mihi exhibebat. Ita Lyranus, Vatablus et alii (1).

Aliter S. Hieronymus, Theodoretus et Remigius; censent enim angelum post visionem cap. III, non recessisse a Zacharia; dici tamen reversum, quia novam visionem ei obtulit, ad eamque videndam eum excitavit. Sed prior expositio est planior et germanior: si enim reversus est Michael; ergo egressus fuerat.

SUSCITAVIT ME, — tum a stupore visionis cap. III, uti jam dixi; tum ab hebetudine mentis humane: huius enim vis corpori illigata et ad illud depressa hebetatur et quasi soporatur, ut ad spiritualia et divina minus sit acris et vigil. Excitat ergo depressam et torpentem mentem Zacharia angelus, ut eam ad divina elevet et attentum reddat; eo quod hæc prophetia sit enigmatica, obscura et difficile, q. d. Michael, excitando me, mentem meam exauget, et attentorem reddidit

(1) Ex hoc loquendi formula: « Et reversus est, » etc., concludunt alii, ut Sanctus, aliquid temporis intercessisse inter hanc et superiorem visionem. Rosenmüller alteram explicationem addit, que suam habet probabilitatem. « Potest hic, inquit, notus ille idiotismus statui quo verbum *שׁוּב* *schub*, reverti, cum alio verbo conjunctum iterationem actionis illius indicat, que altero verbo significatur, » ita et hic *וַיָּשׁוּב* *vaiaschab* cum sequenti *וַיִּקְרַע* *vaiarec* junctum, verti possit; resuscitavit me.

ad hieroglyphica et symbola celestia, que mihi monstraturus erat.

2. CANDELABRUM AUREUM. — Alludit ad candelabrum quod jussu Dei fabricavit Moses, *Exod.* XXV, 31. Unde illud, æque ut hoc Zacharias, habebat septem calamos et lucernas; non tamen per omnia fuit idem cum eo, ut vult Lyranus. Nam Mosaicum non habebat septem infusoria, duo rostra et totidem olivas, que habuit hoc Zacharia. Candelabrum per synecdochen significat et representat templum instaurandum a Zorobabele. Ipsum enim erat unum e tribus præcipuis vasis templi, quod totum tabernaculum sua luce illustrabat. Rursum candelabrum in templum inferri non solet, nisi eo perfecto. Fabrica ergo hæc candelabri significat et præsupponit fabricam templi perficiendam, ait Lyranus. Hinc mystice candelabrum, æque ac templum, representat Ecclesiam, que aurea est charitate et doctrina celesti. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Remigius, Rupertus et alii. Unde S. Joannes Apoc. I, 13, vidit « in medio septem candelaborum similem filio hominis, » id est Christum. Et vers. 20, explicationem eorum audit ab angelo dicente: « Candelabra septem, septem Ecclesie sunt » Asia, puta Ephesina, Smyrnenis, Pergamensis, Thyatirensis, Sardensis, Philadelphensis, Laodicea, ut patet ibidem, cap. I et II. Vide ibi dicta. Plane enim S. Joannes eo loco alludit ad hoc candelabrum Zachariæ. Verum de significatione candelabri plura dicam vers. 6.

LAMPAS SUPER CAPUT. — Pro lampas hebraice est

גַּלְתָּא *galta*, id est vas concavum et sphericum ad capiendum oleum, quod pariter laïne recte *gallam* appellas. Sicut enim gula sive guttur capit cibum in transmittendum ad stomachum, ita hæc vas capiebat oleum transmittendum ad septem lucernas. Unde Pagninus et Vatablus vertunt, *lentivalem*; Tigrina, *discum rotundum*; *gulla* enim a radice *גָּלַל* *galal*, id est *convolvere*, signifi-

Vers. 2.

Candelabrum typus templi et Ecclesie.